8.51.C.11

VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
51 C
11

8.51.C.12

F. VINCENTII MARIAE DINELLII

CATHEDRATICI CASANATENSIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

AD

CAROLUM NOCETIUM

SOCIETATIS JESU THEOLOGUM

DE DANIELIS CONCINAE

In indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia

EPISTOLAE.

CONGR. MISS. NOVITIATUS LAT.

CONGREG. MISS. SS. IO: ET PAULI

ROMAE, MDCCLIII.

Apud Haeredes Jo: LAURENTII BARBIELLINI.

SUPERIORUM FACULTATE.

NOS FR. ANTONINUS BREMOND

Sac. Theol. Profeſsor, ac totius Ord. FF. Praed. humilis Mag. Generalis, & Servus.

HArum ſerie, Noſtrique auctoritate Officii, quantum in Nobis eſt, facultatem concedimus A. R. P. Magiſtro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Noſtrae Romanae Cathedratico, Caſanatenſi typis edendi opus ab ipſo elaboratum, cui titulus: *ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, & diligentia Epiſtolae*. Dummodo a duobus RR. PP. Noſtri Ordinis Sacrae Theologiae Profeſſoribus praelo dignum judicetur, & ſerventur cetera de jure ſervanda. In nomine Patris &c. In quorum &c. Datum Romae in Conventu Noſtro S. M. S. M. die 15. menſis Septembris 1753.

Fr. Antoninus Bremond
Magiſter Ordinis.

Reg. pag. 4.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta
Mag. & Socius.

APPROBATIONES.

JUſsu Reverendiſſimi Patris Fr. Antonini Bremond totius Ordinis Praedicatorum Magiſtri Generalis legimus Librum, cui titulus eſt: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, & diligentia Epiſtolae*. In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, boniſque moribus adverſetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae ſupra Minervam die 17. Septembris 1753.

Fr. Johannes Dominicus Villavecchia Ord. Praed. Magiſter, & Socius.

Fr. Alexander de Pretis Ord. Praed. Magiſter Studentium.

DE mandato Reverendiſs. Patris Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fratris Vincentii Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ord. Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum, de Danielis Concinae in indicandis deſcribendiſque Caſuiſtarum locis Jumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret, quan-

quantum mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo.

Datum Romae die 16. Septembris 1753.

D. Gabriel Maria de Blaſi Prior Congregationis Caſinenſis, Sacrae Theologiae Lector, ac Congregationis ſacrorum Rituum Conſultor.

J. M. J.

JUſsu Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Praed. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societat. Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*, in quo nihil reperi, quod cum fide, boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria Die XVI. Septembris MDCCLIII.

Fr. Eduardus a. S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriar. Conſtantinop. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Mag. Sac. Pal. Apoſt. Socius.

EPI-

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Proponit quamobrem palam ſuo nomine epiſtolam Nocetio inſcripſerit; ſeque cum eo leniter acturum pollicetur. II. *Oſtendit, quas cauſſas ſibi fuiſſe ſcribendi Nocetius dicit, iiſdem ſe ad reſpondendum impelli; nimirum ejuſdem cum Concina inſtituti conjunctione: Concinae ipſius innocentia: Chriſtiani populi utilitate.* III. *Quartam affert cauſſam: edita olim Concinae* Declaratione, *nihil jam reſtare, quod ei vitio dari jure poſſit; ejuſdemque* Declarationis *factum paucis deſcribit.* IV. *Itaque cum levia eſſent, quae Concinae op-*

poſita, ab eoque Declaratione *explicata fuerant, oſtendit, Concinianae Theologiae plurimum exiſtimationis merito acceſſiſſe.* V. *Ait egregiam hominum de Concinae Theologia opinionem Nocetii libro confirmari, quod is liber eadem obtrudat, quibus antea* Declaratione *Concina ſatisfecerat.* VI. *Refellit quod Nocetius adjecit, habere alia ſe, quae Concinae, ſi velit, opponat.* VII. *Demonſtrat Concinam, qui, Nocetio ipſo teſte, nihil malo animo egerit, calumniae, atque impoſturae accuſari nullo modo poſſe.* VIII. *Concinam de compilata ex Sinnichio, Montaltio, &c. Theologia falſo a Nocetio accuſari.* IX. *Theologis, quos Concina reprehendit, nihil profici Nocetii defenſione. Nam multo eſſe plura, de quibus purgari a quoquam omnino non poſſint. Itaque non eſſe credibile, Concinam, ſi quidem conflare iis invidiam niteretur, falſis criminibus, quae pauca eſſent, impoſitis, imminuere voluiſſe certiſſimarum, quae plurimae eſſent, accuſationum gravitatem.* X. *De Nocetii libro, quemadmodum vulgatus Romae ſit, pauca appoſite ad rem narrat. Hunc ab ſe ordine confutatum iri, pollicetur: interea velle ſe ex eo graviora quaedam proponere.* XI. *Nocetius cap. LXXXII. Concinam de imminuta Tamburini fama accuſat. Ait debuiſſe Concinam Tamburini retractationem afferre.* XII. *Demonſtrat Dinellius, nullam fuiſſe factam a Tamburino retractationem.* XIII. *Quae poſt Tamburini mortem addita eſt, aliena opera, retractatio, eam obeſſe plurimum Tamburini exiſtimationi.* XIV. *Sed Tamburinum, qui nullam, cum tamen debuiſſet, retractationem ediderit, quamquam excuſetur a Concina, tamen excuſari omnino non poſſe.* XV. *Nam quae poſt mortuum Tamburinum eſt facta, eam-*

eamdem ſi Concina commemoraſſet, magno id Tamburini malo futurum fuiſſe. XVI. Nocetium, qui Concinae vitio dat, quod errorem Tamburini avide arripuerit, retractationem occultarit, injuria agere, minuſque accurate ratiocinari. XVII. Altera Nocetii accuſatio in Concinam de Sancheſio. XVIII. Demonſtrat Dinellius, immerito Concinam impoſturae accuſari, ut qui Salmanticenſes auctores ſecutus ſit. XIX. Praeſertim quod antea de ea re adverſariis ſatisfecerit. XX. Nihilominus de laxa de duello ſententia Sancheſium abſolvi non poſſe. XXI. Sancheſium cum laudet Caſtropalaus Jeſuita, hunc in eadem cauſſa, atque Concinam verſari. XXII. Tertia Nocetii criminatio de vitiata a Concina Tamburini ſententia de matrimonio refellitur. XXIII. De male propoſita Sancheſii ſententia de abſolvendis blaſphemis criminatio quarta. XXIV. Ea eſt injuſta, propterea quod Concina non oppugnavit quidem Sancheſium, ſed ſolum ex Leandro laudavit. XXV. Eoque magis, quod revera Sancheſius in ſententia verſatus fuit, quae proſcripta eſt. XXVI. Immo vero deterior eſt Sancheſii doctrina propoſitione damnata. XXVII. Sententiam Vaſqueſii de comparatione furti, & libidinis detruncatam fuiſſe a Concina Nocetius queritur. XXVIII. Reſpondet Dinellius, non iccirco ſententiam detruncari, quod rationes omittantur. XXIX. Ratio Vaſqueſii levior eſt ipſa ſententia. XXX. Abutitur enim Vaſqueſius auctoritate S. Thomae, cujus principia convellere conatur. XXXI. Nocetii accuſatio de Concinae impoſtura in Vivam, & La-Croixium. XXXII. Non aequam eam eſſe Dinellius oſtendit; non enim imponere qui argumentando fallitur.

XXXIII. *At Dinellius epistolae se finem facere, reliquas accusationes aliis proxime epistolis persecuturum. Interea petit a Nocetio, ut suum respondendi consilium aequi, bonique faciat.*

FR. VINCENTIUS MARIA DINELLIUS

ORDINIS PRAEDICATORUM

CAROLO NOCETIO

SOCIETATIS JESU

S. P. D.

QUum neminem lateat, Auctorem te esse libelli, Lucae non ita pridem editi, qui *Veritas vindicata* inscribitur, idque tibi, quin neges, aut recuses, non solum amici, sed pene obvii quique publice gratulentur: non feres, opinor, iniquo animo, te a me quoque in his Epistolis nominari, quas ad te scribo, tui libelli confutandi caussa, in quibusque, qui sim, palam aperteque dixi. Commodius

dius enim utrique, & rei, quam agimus, conducibilius putavi, ut, quoniam nihil eſt honeſtius, atque laudabilius, quam veritatem vindicare, neuter noſtrum lateret, quo magis uterque veritus hominum judicium, honeſte, & laudabiliter, quae ſuarum ſunt partium, perficere niteretur. Itaque moleſtus tibi non ero ullis ſalibus, conviciis, & injuriis, quas, ſi Concina tibi reſponderet, vehementer reformidares. Quamvis enim is ego ſim, qui Sermones ſcripſi ad Danielem Concinam *de querelis Probabiliſtarum*, cave tamen exiſtimes, ita comparatum eſse me, ut nequeam, cum oportet, a ſalibus mihi temperare. Noſti, poeta cum ſis elegans atque eruditus, genus illud ſcriptionis ſalibus carere non poſſe: quorum ſane magnam copiam is mihi ſuppeditabat, quem refellendum ſuſceperam. Neque tamen ullos adhibui, niſi qui liberales haberentur, quorumque aliquando pudere non poſſet. At nunc ſalibus opus non eſt, multo minus conviciis, & calumniis; quae quidem ſemper odi; & valde gaudeo in eorum mihi ſocietate eſſe vivendum, a quorum moribus, & doctrina & longe abſunt, & vulgo putantur abeſſe. Nam quod ſecus de

au-

auctore *Christianae Theologiae* existimetis, eique nihil aliud, nisi eum calumniari, perpetuo exprobretis, id quidem jure, ne, an injuria faciatis, alio loco declarandum erit.

II. Itaque quae te causae impulerunt, ut, eo scripto libello, tuae Societatis Theologos vindicares, eaedem me, ut Auctorem *Christianae Theologiae*, quem accusas, defendendum suscipiam, vehementer hortantur. Primum est ille mihi Instituti societate conjunctus, quemadmodum tibi Baunius, Tamburinus, Amicus, & alii, quorum defensionem suscepisti. Deinde eum ego innocentem esse, nihilque tuis Theologis falso adfinxisse constanter adfirmo, idque tibi plane ad veritatem demonstrabo. Tertio quod pauci sint, qui testimonia, quae profers tuorum Theologorum, cum eorum voluminibus, & cum *Christiana Theologia* accurate conferre, & utrum abs te, vel a Concina fuerint depravata, perspicere curent; contra, qui vix, ac ne vix quidem lecto, quem edidisti, libello, Concinam accusent, eumque minus integre, quam veri amatorem decet, tuorum opiniones descripsisse conclament, bene multos in-

ve-

venies. Quare cum has cauſsas memores, quamobrem pro tuis Theologis ſcribendum tibi eſſe putares; quid erat, quod ego iiſdem inductus opus egregium *Chriſtianae Theologiae* vindicandum non arbitrarer, ejuſque Auctorem falſo abs te accuſari, cum facile poſſim, non oſtenderem? Neque enim parvi intereſſe exiſtimo ad commodum, utilitatemque, populi Chriſtiani, num is hanc Theologiam diligenter, ut par erat, accurateque perſcripſerit, opinioneſque, quas a ſanctitate Chriſtiana alienas judicavit, ex cujuſque Auctoris voluminibus integre, bonaque fide deſcripſerit. Quae res eo magis me movit, quod ſejuncta non eſset a munere, quo veſperi fungor in Bibliotheca Caſanatenſi, Summam Theologicam D. Thomae interpretandi, neque a voluntate inſignis Viri doctiſſimique Cardinalis Hieronymi Caſanatae, qui tuendae amplicandaeque ſanioris doctrinae cauſsa Collegium hoc inſtituit.

III. Nam quod quarto loco adjungis, illud etiam tibi occaſionem ſcribendi praebuiſſe, quod, edita Concinae *Declaratione*, pleroſque dicere, atque etiam ſcribere audieris, pluris ob eam rem fieri

ri oportere *Chriſtianam Theologiam*, nihilque praeterea habere viſam eſſe, quod emendatione egeret, niſi illa pauca, quae *Declaratio* continebat, vehementer admiror. An poterat fieri minus, quam ut ſanus quiſque ita judicaret? Conſtat enim inter omnes, idque Romae, quod diſſimulare non potes, pervulgatum eſt: vos novem priora hujus Theologiae volumina (nam reliqua tria nondum edita fuerant) pluribus veſtris Theologis, ſingula binis, quo diligentius legerentur, tradidiſſe, utque omnia ſcrutarentur, quae animadverſione digna eſſent, praecepiſſe: Tum confectum libellum, quod multa, eaque graviora Concinae errata continebat, ad ſummum Judicem, qui vos vindicaret, detuliſſe: Judicem, qua eſt prudentia, & aequitate, tribus aliis Theologis, ut illum diligenter expenderent, ſibique referrent, imperaſſe. Res hunc habuit exitum, ut Concina, edita illa *Declaratione*, cujus abs te mentio in proemio facta eſt, his, quae ſibi objiciebantur, ſatisfecerit.

IV. Quae cum ita ſint, quid eſt, quod mirere, pluris, ea re in vulgus elata, coeptam eſſe fieri *Chriſtianam Theologiam*; idque omnes, qui a partium ſtudio erant

erant alieni, libere praedicaſſe? Nam certe, quum iis, quae, licet nullius ponderis eſſent, omnium tamen, quae collegeratis, erant graviſſima, ea *Declaratione* fuiſſet ſatisfactum, unum reſtabat, ut nihili reliqua penderentur, & pluris, quam antea *Chriſtiana Theologia* aeſtimaretur. Neque refert, quod opponis, non omnia Tuos eo libello, cui Concinae *Declaratio* reſpondet, complecti potuiſſe, quae contra *Chriſtianam Theologiam* collegiſſent. Nam ſatis erat, complexos eſſe graviora, ex quibus facile, quae complexi non erant, cujuſmodi eſſent, cognoſceretur. Qua de re nemo dubitare poterat. Praeter enim quam quod res ita poſtulabat, ut vos eo libello graviora proferretis; (alioquin qui fieri potuiſſet, ut, cum parva & exigua opponeretis, nihilominus aut *Chriſtianam Theologiam* damnari, aut quidquam contra auctorem decerni peteretis?) illud accedebat, quod conſtaret inter omnes, neque tempus vobis, neque diligentiam, neque voluntatem defuiſſe requirendi; &, cum leves quaſdam, exileſque unius voculae aberrationes; puta *nec* pro *&*; *voviſti* pro *voluiſti*, non omiſiſſetis, veriſimile non erat, graviora, ſi quae fuiſſent, neglexiſſe. V. At

V. At nunc, edito tuo libello, nulla egemus conjectura, perſpicueque omnia videmus, quae tum contra *Chriſtianam Theologiam* opponebatis. Nihil enim aliud profers in hac *Veritate vindicata*, niſi quae dudum a Tuis, ut tu ipſe non obſcure fateris *p.* 5. *praefationis*, magna diligentia fuerant collecta: quibus cum magna ex parte, aut certe iis, quae graviora erant, Concinae *Declaratione* fuerit ſatisfactum, illud neceſſario ſequitur, te illam edendo auxiſſe majorem in modum, cum minuere velles, opinionem hominum, magnamque tua opera huic Theologiae ex illo judicio factam eſſe exiſtimationis acceſſionem.

VI. Neque ſatis eſt ad hanc minuendam opinionem alia multa habere te dicere praeter ea, quae hoc libello continentur, quae contra *Chriſtianam Theologiam* opponas: nam iſto modo facile poteris ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum querelas producere, ſemperque aliquid premendo ſupereſſe tibi jactare, quod opponas contra *Chriſtianam Theologiam*. Credo tamen; nam aliquot ex eo volumine, quod primo a Tuis confectum fuerat, detractis, quod *longam habeant*, ut dicis,

& litigioſam diſputationem, quod reliquum erat edidiſti, ut lectorum animos a legenda *Chriſtiana Theologia*, his, quae dabas, abduceres, unaque ſuſpenſos teneres novarum rerum expectatione. Sed age, quae premere voluiſti, graviora ne ſint, an leviora iis, quae protuliſti, videamus. Graviora non puto: nam ſi nec libello ſupplici, quo *Chriſtianam Theologiam* damnari petebatis; neque hoc tuo, quo Theologos Societatis defendis, graviora proferuntur, quando erit, ut ea proferatis? Itaque cum ſint leviora, nihili facimus: quandoquidem iis, quae cum libello ſupplici, tum hoc tuo continentur, leviora cogitare non poſſumus. Mihi tamen nihil longius videtur, quam ut illa emittas: quando enim *longam habent, & litigioſam diſputationem*, cupio videre, utrum ad Concinam malae fidei arguendum, an, quod magis reor, ad ipſas tuorum opiniones, cujuſque modi ſint, aut tegendas, aut defendendas ſint comparata. Numquam enim audivi ejuſmodi rebus, quae longam habent, & litigioſam diſputationem, argui quemquam poſſe malae fidei in referendis aliorum teſtimoniis. Oculis enim opus eſt, non diſputatione, ut ſince-

cerene, an ſecus ex cujuſque auctoris voluminibus loca fuerint deſcripta, perſpiciamus. Nam ſi forte quidquam ſecus ac eorum ſententia, verborumque ſeries poſtulat, fuiſſet explicatum, id certe non malae fidei, ſed ingenii imbecillitati, ſummum, ratiocinandi vitio eſſet aſſignandum. Quod ipſum tamen utrum aliquando ab auctore *Chriſtianae Theologiae* factum eſſet, deberet a te non longa & litigioſa, ſed clara perſpicuaque diſputatione demonſtrari. Longam enim, & litigioſam amant ad res implicandas Probabiliſtae, quod eos pudeat nonnumquam opinionum ſuarum, quodque, ut celeberrimus olim Theologus ajebat, ipſe, quem defendunt, Probabiliſmus nihil aliud ſit, pace tua dixerim, niſi ars quaedam perpetuo cavillandi. De Te autem, qui elegantiores litteras, artemque noſti recte ſcribendi, & qui forte ad hanc ſcriptionem invitus acceſſiſti, non perinde, ac de vulgo horum Theologorum ſentire poſſum.

VII. Quare quod ſcripſiſti, *Chriſtianam Theologiam* magnam partem ex *epiſtolis Provincialibus*, ex *Theologia Morali Jeſuitarum*, ex *Sinnichio*, ex *Henrico a S. Igna-*

tio fuiſſe compilatam, puto non eſſe tuum: multo minus, quod ſcribis quarto quoque verbo, Auctorem *Chriſtianae Theologiae* calumniari, ſcriptoribus falſa imponere, Jeſuitaſque in odium rapere, & alia ejuſmodi plura, quae magis ex aliqua neceſſitate, quam ex animo, qualem habes, bene inſtituto, arbitror eſſe profecta. Illud tuum eſt: *quaecumque noſtris, vel extraneis auctoribus impoſita ſint, illud ſincera perſuaſione pro certo habeo, nihil malo animo actum, ſed omnia vel ab incuria quadam, vel a nimia feſtinatione, vel ab otii defectu profecta eſſe.* Hoc, inquam, tuum eſt; non illa ſuperiora, quae dixi. Non enim video, qui, ſi tibi ſincere, ut dicis, perſuaſum erat, non ulli animi pravitati, ſed uni negligentiae, aut nimiae ſcribendi feſtinationi, quod ille erravit, eſſe aſſignandum, poſſes deinde, cum eum refellis, nihil aliud in ore habere, niſi *calumniam*, *malitiam*, *perverſitatem*: quaſi non intelligeres, haec vitia in eum, qui ſolum negligentia, aut ſcribendi feſtinatione peccavit, cadere non poſſe.

VIII. Itaque quae dixiſti de compilata ex iis libris ab Apoſtolica Sede proſcriptis *Chriſtiana Theologia*, deque appetitis calu-

lumnia Jesuitis, non puto esse a me hoc loco operosius refellenda; praesertim quod haec centies a Tuis objecta, ducenties fuerint a nostris refutata. Et sane, ut egregie refutentur, non opus est, nisi lectione ipsius *Christiane Theologiae*, *Historiaeque Probabilismi*, in quibus cum nulla injuria, nullum convicium, nulla censura, nisi contra pravas opiniones, reperitur; tum illud saepenumero inculcatur: non esse Henrico a Sancto Ignatio adhibendam fidem, (quominus eum, qui id inculcat, credibile sit aliquando adhibuisse), ab ejusque accusationibus, cum fieri potest, Theologi vindicantur. Legito, oro te, primi voluminis *Historiae Probabilismi*, ut loca omittam *Christianae Theologiae*, paginam 123. (1)

(1) Concin. *Istor. del Probab. e del Rigorismo &c. Edit. an.* 1743. *Dissert. I. Cap. V. §. III. n.* 23. *pag.* 125. *Tom. I.* » Il Cardinal de Lugo egli è un altro di quegli antichi Teo. » logi, che secondo il P. Viva ha insegnato un Filosofismo » innocente non condannato da Alessandro VIII. Per ren- » dere giustizia al P. Viva, ed alla verità, confesso, che » questo dotto Cardinale parla in un senso Ipotetico, e ch' » egli non insegna (per quanto a me sembra) il Filosofismo » dannato. Il P. Enrico a S. Ignazio nel numero de' Filo- » sofisti ripone anche questo insigne Teologo, e riporta un » testo tratto dalla *Disp. V. Sect. V. De Incarnat.* Ho letta » tutta cotesta lunga sezione, ed ho rilevato, che il testo » non è trascritto con sincerità, attesochè vi sono quiv » dot-

Nam niſi te poeniteat, poſtquam legeris, harum criminationum, his de rebus quemadmodum tibi reſpondeatur ignoro. Hoc tamen abs te non ego ſolum, ſed res publica etiam univerſa Litteratorum poſtulat, tuam ut liberes fidem, argumentiſque efficias, a Montaltio, ab Sinnichio, ab Henrico a S. Ignatio Concinam accepiſſe, quae de Veſtris in ſuam tranſtulit Theologiam. Id namque ni feceris, condemnabunt te omnes eodem, quo tu eum condemnandum putaſti, crimine.

IX. Sed his, ut dixi, praetermiſſis (obiter enim harum querelarum inſulſitatem oſtendere volui) quod inſtat agamus, atque utrum Concina ullam tuorum Theologorum pravam opinionem male deſcripſerit, aut ullam ejuſmodi falſo iiſdem adfinxerit, perſpiciamus. Quinque tu quidem, & centum adfers, in quibus eum

» dottrine, onde ſi può in un buon ſenſo interpretare il ci-
» tato teſto. Biſogna confeſſare la verità, che il mentova-
» to P. Entico ſpeſſe fiate manca di eſattezza nel riferire le
» ſentenze degli autori; la qual coſa ſia detta, acciocchè i
» leggitori non ſi fidino del medeſimo. Non è piccol dif-
» fetto l'aſcrivere ad un grave Teologo una ſentenza erro-
» nea. Io procuro di uſare tutta la diligenza per non ca-
» ſcare in un tale mancamento; e ſempre temo, che la mia
» diligenza ſia minore del mio dovere, e perciò ſpeſſo pre-
» ventivamente ritratto tutto ciò, che contra mia eſpreſſa
» volontà mi poteſſe cadere dalla penna.

eum referendis peccaſſe contendis. Sit ita. Animadvertito nunc quo te argumento conficiam. Nam quum variorum Theologorum opiniones circiter mille, perverſae illae quidem, pugnanteſque quam maxime cum Evangelio in *Chriſtiana Theologia* numerentur; ſi darem, quinque illas & centum, quas in tuo libro deſcripſiſti; nec non alias quinque & nonaginta, quae tamen *longam* habeant, & *litigioſam diſputationem*, prave corrupteque ab auctore Theologiae fuiſſe relatas: octingentae tamen reſtarent haud dubie ſincere, integreque deſcriptae (de his enim nullam litem inſtituis, aut inſtituere potes) quae ſatis eſſent ad oſtendendum, magnam labem invectam a probabiliſmo, utilitatemque quam maximam hujus Chriſtianae Theologiae. Ex quo aliud exiſtit contra veſtras querimonias de attributa veſtris Theologis opinionum pravitate firma ratione concluſum argumentum. Nam cum hanc tantam utilitatem ſuae Theologiae auctor proſpiceret, & huic uni operoſe ſtuderet; quorſum tandem calumnia, quae tegi non poteſt, certa incertis commiſceret: utque numerum, quem jam magnum habebat,

perverſarum propoſitionum aliis ducentis inepte augeret, totum opus, & tam pretioſum fructum corrumperet laborum ſuorum? Ut illos Theologos, quemadmodum Tui queruntur, dehoneſtaret? Atqui iſtud quoque unis illis, quas certo docuiſſent, opinionibus, quin ullas falſo adfingeret, commodius tutiuſque perfeciſſet. Nemo eſt enim, qui ſi habeat animum nocendi, ei, cui vult nocere, aut vero praetermiſſo, falſum crimen objiciat, aut verum cum falſo componendo, utrumque dubium efficiat.

X. Nihil eſt, mihi crede, minus veriſimile, quam quod de corruptis calumniandi cauſſa veſtrorum Theologorum opinionibus quotidie conquerimini: quamvis, quia legentium dumtaxat frontes librorum ſunt omnia plena, proſit nonnihil querimonia, praeſertim niſi deſit induſtria ejuſmodi lectores unde unde conquirendi, & eos, qui cognoſcere poſſint, veritatem celandi. Rem dico omnibus notam. Quae Romam magno numero tui libelli allata ſunt exempla nuſquam apparuerunt, omneſque unum aliquod eorum habere potuerunt, praeter emptores. Quid ita? Omnia donatum, ami-

amicis, viriſque Principibus circumtuliſtis, addita voce: En veritatem vindicatam: en Concinae fidem. Continuo rumores, & temerariae imperitorum vociferationes: Concina calumniator eſt: en locum: en Leſſium: quid hic Tamburinus? Quid Concina? Noſtrum aliqui, cum in has voces, clamoreſque incidiſſent, domum reverſi nunciabant, magnis querelis, vociferationibuſque adverſus Concinam eſſe omnia plena; jam angulum non eſſe ſine Theologis, qui reprehendant, vituperentque *Chriſtianam Theologiam*. Alii cupidi, quid rei eſſet, cognoſcendi, quaeſitum ex Bibliopolis de *Veritate vindicata*, ſed nuſquam inveniebant. Erant tamen, qui rem taciti conſiderantes male ominabantur huic *Veritati vindicatae*. Quid? Si recte, ajebant, veritas fuiſſet vindicata, haud dubie eorum, qui vindicarunt, pluris intereſſet, id a viris ſtudioſis, imprimiſque a Dominicanis, quam ab imperitis, amiciſque cognoſci. Cur Euſebii Eraniſtae non ſunt imitati ſedulitatem, qui nihil magis avebat, nihil diligentius perfecit, quam ut Epiſtolae ſuae in manus adverſarii quam primum fieri poſſet, pervenirent?

rent? Haec nova, atque inuſitata librum diſſeminandi ratio magnam adfert ſuſpicionem, nihil eum, praeter id, de quo arguit adverſarium, continere. Ita quidem qui rem prudenter conſiderabant: quorum ego prudentiam, cum primum *Veritatem vindicatam* legere potui, divinationem fuiſſe cognovi; vidi enim ſtatim, te tam multa ſecus, atque ab auctore Theologiae dicta, explicataque, ſunt, retuliſſe, immutaſſe, ſuſque deque egiſſe, ut ferme iis ignoſcerem, qui ſuſpicarentur, teipſum conſcientia tuarum prolapſionum id egiſſe, ut tardius, quam fieri poſſet, in manus noſtras libellus perveniret. Quem ego etſi ordine confutare conſtitui, ut certe, ſeriem auctorum abs te poſitam ſervando, confutabo; mihi tamen temperare non potui, quin primum hac Epiſtola graviora quaedam, quae forte occurrerunt, & diligentiſſimo Scriptore non egent, quibuſque eorum temeritas, qui ſtatim Concinam condemdemnarunt, facile reprimi poteſt, demonſtrarem.

XI. Et primum forte incidi in caput LXXXII. pag. 214. in quo ſic eſt: „ *Reſtituitur fama Patri Tamburino*„. Hic Con-

Concinae vitio vertis, quod propoſita quaeſtione, utrum verba Concilii Tridentini *ſeſs. 13. cap. 7. quod ſi, neceſſitate urgente Sacerdos abſque praevia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*, contineant praeceptum, an Conſilium: relataque Tamburini opinione ajentis *cap. 1. §. 6. num. 49. de Method. Comm.* continere conſilium his verbis: *Equidem non poſſum priorem ſententiam agnoſcentem in illis verbis praeceptum ſub mortali non fateri probabilem: Ajo tamèn & hanc non agnoſcentem eſſe probabilem*: Id, inquam, Concinae vitio vertis, quod hac relata Tamburini opinione, illud monere praetermiſerit, Tamburinum opinionem ſuam retractaſſe. Nam *bona fides*, inquis, *& rigidior ethice poſtulabant, ut quemadmodum Pater Concina publice manifeſtavit erratum Tamburini, qui reputavit probabilem illam ſententiam, ſic etiam ad famam reſtituendam manifeſtaret retractationem, quae ibi proxime habetur num.* 54. *his verbis* „ Adverſus doctrinam hanc „ olim a me bona fide traditam inſurgunt „ hodie duae Propoſitiones ab Alexandro „ VII. damnatae, cui omnino parendum „ eſt „. *Hoc in loco Tamburinus*, inquis, *in-*

ingenue fatetur errorem ſuum, illumque retractat. P. Concina ex libro impreſſo Tamburini errorem avide arripuit, retractationem ſtatim, atque immediate ſequentem reliquit, & occultavit.

XII. At Concina nihil reliquit, nihil occultavit, quod ad Tamburinum pertineret. Nam in qua demum hujus operis editione errorem ſuum Tamburinus retractavit? iſtud enim erat tibi omnium primum indicandum. Quid eſt? Num conturbo Te? Ne dubites; nihil agam mala fide. Editum fuit hoc opus Tamburini primum Romae an. 1648, (in Biblioth. Vallicellana,) tum Panormi anno inſequenti, (teſte Alegambe pag. 769. Bibliothecae); inde Lugduni an. 1659. (in Bibliotheca Collegii Urbani Sapientiae) quarto Venetiis anno 1660, (in Biblioth. SS. Roſ. in Monte Mario,) vivo quidem Tamburino, & ante decretum Alexandri VII. an. 1666. publicatum. In quibus ſane editionibus nulla eſſe poterat retractatio; nondum enim erat ſententia Tamburini damnata. At poſt decretum Alexandri VII. recuſum rurſus Lugduni fuit anno ab obitu Tamburini quarto, hoc eſt anno 1679. (in Bibliotheca Caſanatenſi). Nam Alegam-

gambe *loc. c.* & Mongitore *Biblioth.p.264* T.2.edit.1714.teſtibus, anno 1675. Tamburinus deceſſit. In his autem editionibus nulla extat retractatio. Scio Alegambe loc. cit. praetermiſſa editione Lugdunenſi anni 1659, vulgatum iterum Lugduni anno 1669. opus Tamburini fuiſse ſcribere. Sed hanc nos videre nuſquam potuimus. At hoc certum eſt, in editione, quae quarto poſt interitum Tamburini anno curata eſt, quamque in Bibliotheca Caſanatenſi eſſe diximus, nullam comparere retractationem. Itaque ecce tibi hujus editionis Lugdunenſis anni 1679., integrum num.54.pag.66.col.2. Oſtendito mihi in eo ſi potis es ullam retractationem: *Neque urget*, inquit loc.c. Tamburinus, *ſecunda ratio, quatenus de Lugo docet, ſi illa verba*, quam primum confiteatur, *non continent praeceptum, idem fore dicendum de aliis multis praeceptis, quae ſub hac forma indicuntur, & ſignanter de illo annuae Confeſſionis*, ſemel in anno confiteatur: *Non urget, inquam, nam cetera praecepta prolata ſub hac forma, ſi gravitatem mortalem continent, non eſt ex verbi, ſed vel ex materiae gravitate, vel ex adjuncta poena ex aliis capitibus: de quibus quomodo*

do ſint ſigna prohibitionis mortalis, diſputatur in Tract. de legibus, & nos aliqua afferemus in 3. opuſ. de Sacrificio Miſs. lib. 3. cap. 1. §. 8. Id quod etiam patet in ipſo eodem exemplo allato a de Lugo de Annua Confeſſione, quae & ex ſe eſt res multum gravis, & habet adnexam gravem poenam. „ Alioquin, (*ſunt verba citati Canonis* omnis utriuſque ſexus) & vivens ab Eccleſiae ingreſsu arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat Sepultura „. *In caſu autem noſtro nec ulla prorſus additur poena, neque ejus materia admodum gravis bene perpendenti apparet. Quid enim magni ponderis habet, ut qui jam cum contritione communicavit, atque adeo pie, prudenterque cenſetur eſſe in ſtatu gratiae, tam cito ad Confeſſarium confugiat, ſolum ut ſubdat clavibus illa peccata, quae jam ſive ex contritione, ſive ex Sacramento bona fide ſuſcepto eſſe remiſſa ſupponuntur. Praeſtabit id, ſine ullo incovenienti, ſuo tempore: ſolum autem ex conſilio bono, ſanctoque ſtatim in reverentiam ſacrificii peracti. Id quod indicare dumtaxat recte voluit Tridentinum. Verum contra noſtrum inſtitutum hactenus aliquantulum ſpatiatos eſſe ſit ſatis.*

Num

Num ulla in his verbis apparet retractatio? Scio quo confugies. In editionibus, inquies, Venetis ann. 1680, 1687, & 1692, illa ſane retractatio reperitur. Itaque cur Concinae vitio, quod illam omiſerit, dediſti? Do tibi, quod utique dare non debeo; Concinam uſum eſſe Venetis editionibus, eamque vidiſſe retractationem; quorſum illam non praeteriret? Ad *famam*, inquis, *Tamburino reſtituendam, ut bona fides, & rigidior ethice poſtulabant*. Quid? Num, ſi vidiſſet, mortuum Tamburinum anno 1675. non potuiſſe opinionem ſuam anno 1680. nempe anno poſtquam deceſſit, quinto, revocare, nihilque propterea ad ejus famam redintegrandam illam retractationem pertinere, *bona fides & rigidior ethice poſtulabant*, ut mentiretur, & eam retractationem, quae Tamburini non erat, *ad famam illi reſtituendam*, diceret eſſe Tamburini?

XIII. Quando tamen de hac *retractatione* a Concina praetermiſſa tantopere doluiſti, nihil eſt a nobis, quod ad eam pertineat, praetereundum. Primum qui illam adſcripſit operibus Tamburini, non hujus Theologi opinionem emendare, ſed

ſed Romano Pontifici Alexandro VII. inſultare voluiſse videtur. Et ſane parum conſuluit exiſtimationi Tamburini, quem qui legit in hac Venetis editionibus, exiſtimare debet, niſi fraudem animadvertat, eum Pontifici impudenter illudere. Poſt agnitum enim illius decretum, poſtquam illi parendum eſſe dixit, continuo ad ſuam opinionem tuendam revertitur, ex eaque novis quaeſtionibus, quas ſibi proponit, impauide reſpondet. Sequitur enim poſt illam retractationem numerus 55., in quo ſic eſt: *Demum igitur ſupereſt hic diſcutiendum, an hoc Tridentini dictum intelligatur de Sacerdote habente copiam Confeſſoris, ſed ex mera malitia, ſine Confeſſione, celebrante. Item an de Sacerdote, qui poſt incoeptam miſſam recordatur ſe eſſe in peccato mortali. Praeterea an de Sacerdote peccante intra ipſam miſſam, & de aliis ſimilibus caſibus. Ut etiam ad quod tempus ſe extendat illud* quamprimum, *ad duos, ad tres, ad plures ne dies. Quae omnia fuſe apud Doctores in quæſtionem adducuntur apud de Lugo de Euchariſtia diſp.* 14. *ſect.* 7.

His quaeſtionibus audi, mi Noceti, quemadmodum reſpondeat poſt *retractatam*

tam ob decretum Alexandri VII. ſuam opinionem.

Sed quoniam nos Probabile duximus, hoc non eſſe niſi Conſilium, illa quaerere ſuperfluum exiſtimamus : uno enim verbo quaeſtiones omnes amputavimus : Ad nihil ex obligatione teneris.

Nunc unum ex te quaero : credideris ne, cum in hunc locum veniſti, hanc *Retractationem* eſſe Tamburini ? Nam ſi credidiſti, tuum erat Tamburino gratulari, & gratias Concinae referre, quod eam Retractationem praeteriiſſet, quae quidem multo magis, quam error ipſe, Tamburini exiſtimationi noceret. Si autem, quod non ſane reor, non credidiſti, & nihilo ſecius, ut Concinae invidiam conflares, eumque malae fidei, quod eam omiſiſſet, accuſares, Tamburini eſſe maluiſti; quam honeſte feceris, contraque exiſtimationem Tamburini, tibi meditandum relinquo.

XIV. Denique Concina, ut eſt homo horum Theologorum opinionibus infeſtus, Tamburinum excuſat, quod ſcripſerit ante decretum Alexandri VII. Ego non excuſo. Vixit enim poſt editum illud decretum, ut liquet ex dictis, annos novem ; neque, tamen errorem ſuum, ut oportebat, emen-

dare curavit. Nam quanti erat, hoc opuſculum ſeorſim edendo, quemadmodum ſaepe editum fuerat hujus ſimile *de Methodo Confeſſionis*, totam illam expungere quaeſtionem? Nam ſi recuſum fuit, ut ſcribit Alegambe *pag. 769. Bibliothecae*, anno *1669*, cupio videre quemadmodum opinionem ſuam emendaverit, obtemperaveritque decreto Alexandri VII. quo cautum erat; *ut quicumque illas* (propoſitiones) *aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem &c.*

XV. Nunc conſideres velim, quantam Auctor *Theologiae Chriſtianae*, ſi *Retractationem* illam commemoraſſet, habuiſſet dicendi copiam contra Tamburinum, contra rationem Probabiliſtarum emendandi libros, & incruſtandi errores ſuorum Theologorum: contraque Editores Operum Tamburini an. *1679.* qui damnatam propoſitionem, ut Pontifex praeceperat, expungere neglexerunt. Quare ſi Concina Retractationem illam praetermiſit, gratum habere, & ab omni criminatione tibi temperare debebas; ne malae

lae fidei eum argueres, ubi tam bona uſus eſt erga Tamburinum. Mala fides fuiſſet, editiones Venet. ann. 1680. 1687. aut 1692. ceteris omiſſis, arripere, Retractationem illam proferre, Tamburini eſse dicere: ob eamque tam perverſe concinnatam vehementi oratione Tamburinum inſectari. Neque dubito, quin, ſi Concina illam Retractationem protuliſſet, ſtatim clamaviſſetis, eam Tamburini non eſse; Concinam, dum Probabiliſtas dehoneſtare poſſit, omnia conſectari. Quod addis, eamdem, quam Tamburinus, Ledeſmam Dominicanum, (quod ipſum tamen Concina non tacuit), tueri opinionem, idque ſaepius aliis etiam locis facis, ut Noſtrum pleroſque Tuorum Caſuiſtarum, qui in pravas, rejectaſque ab Eccleſia opiniones, diriſque devotas inciderint, in ſubſidium voces; nihil in praeſentiarum moror. Non enim eſt otium, ut diligenter de ſingulis inquiram, explicemque, quae ſit eorum vera ſententia. Conſtat enim inter omnes; a pleriſque Caſuiſtis, ut multitudine fortaſſe peccantium ſeſe excuſarent, tegerentque; non Ledeſmam modo, alioſque hujus generis Theologos Dominicanos, verum etiam Thomam Aqui-

Aquinatem, B Albertum Magnum, S. Antoninum, S. Raymundum, reliquaque noſtri Ordinis, atque Eccleſiae univerſae lumina, quorum ſummam fidem, diligentiamque in morali ſcribenda Theologia qui ignoret, puto eſſe neminem, in falſarum, pravarumque opinionum, quas illi tuebantur, auxilium per ſummam injuriam, (nolo enim gravius dicere) per vim, perque nefas fuiſſe accerſitos. Itaque hoc tempore mihi eorum defenſionem, ut dixi, praetermittendam eſſe arbitror, praeſertim, quod certo ſciam, eam rem & ab aliis olim accurate, fideliterque fuiſſe factam, & nunc denuo a viro diligentiſſimo, cujus jam vires Probabiliſtae experti ſunt, ſumma integritate praeſtari. Atque confido fore, ut brevi experiundo cognoſcas, nihil a me ſine ratione dictum. Cave tamen tibi perſuadeas, nos eorum patrocinium ſuſcepturos, quos erraſſe aliquando cognoverimus. Nam probatum ſemper Dominicanis fuit, quod dictum olim ab uno, factum nunc eſt ſermone tritum proverbium: „ Amicus So„ crates, amicus Plato, amicus Ariſto„ teles, ſed magis amica veritas„. Quod attinet ad Concinam: jam ille non ſemel, atque

atque iterum modo, ſed ſaepiſſime in *Theologia Chriſtiana* profeſſus eſt, ſe dum pernicioſam quampiam refellit opinionem, non omnes proferre Scriptores, qui eam tuerentur, ſed Principes plerumque Caſuiſtarum, eoſque imprimis, qui manibus minus peritorum quotidie teruntur, ut praecaveret, ne illorum auctoritate decepti in errorem inducantur; itaque ſibi, & iis, quorum audiunt exomologeſim, detrimento, atque exitio eſsent.

XVI. Redeo ad illud quod *cap. LXXXII. p.* 215. ſcripſiſti. „ Tamburinus, *in-* „ *quis*, nuſquam, quod ego ſciam, do- „ ctrinam hanc typis impreſserat, niſi „ hoc ipſo in loco, in quo ingenue fate- „ tur errorem ſuum, illumque retractat. „ P. Concina ex libro impreſso Tambu- „ rini errorem avide arripuit, retracta- „ tionem ſtatim, atque immediate ſequen- „ tem reliquit, & occultavit „. Nam, quod velle mihi videris, Tamburinum praeterquam hoc uno in §. Libri, qui eſt *de Metb. Com.*, nuſquam alibi id genus doctrinae tradidiſse, non leve ſolum, ſed etiam inane omnino eſt. Non enim convincere iſta tua animadverſione potes Concinam, qui praeter eum locum Opu-

ſculi de *Meth. Comm.* nullum alium indicavit, aut indicare ſe poſse ſignificavit, quo ea *doctrina* contineretur.

Multo autem minus efficere eadem ipſa animadverſione tua cuiquam licet, quod tu quaſi conjunctum, & conſequens eſset, effici poſse putaſti: *errorem avide arreptum a Concina; retractationem ſtatim, atque immediate ſequentem relictam, & occultatam*. Nullus enim eſt nexus inter hanc propoſitionem: *Tamburinus in ſolo opuſculo de Meth. Comm. tradidit doctrinam, quam poſtea retractavit*, & hanc alteram: *Concinae* (qui certe ſcribendo uti poterat iis editionibus, in quibus *Retractationis* ne veſtigium quidem reperitur) dandum vitio eſt, ac ſi *errorem avide arripuerit, retractationem ſtatim, atque immediate ſequentem reliquerit, & occultarit*. In illis enim editionibus *Retractatio* non ſolum *ſtatim, atque immediate non ſequitur*, ſed etiam nulla omnino extat. Ex iis vero, quae conjuncta, atque colligata non ſunt, quo tandem modo concludi quidquam poſse arbitrare?

Igitur ut Concinam coerceres, atque vinceres, hoc tibi ante demonſtrandum fuerat, aut uſum illum editionibus ann. 1680.

1680. 1687. & 1692. fuiſse, in quibus quidem editionibus *Retractatio* legitur, aut nullam extare editionem, cui adjuncta non fuerit Retractatio. Tunc enim eſſet conſequens, Concinam *occultaſſe Retractationem*. At neutrum demonſtrari abs Te poterat. Non primum; cum neque tu adeſses ſcribenti de Tamburino, neque ullos haberes teſtes, qui uſum fuiſse editionibus ann. 1680. &c. Concinam, cum de Tamburino ageret, confirmarent. Non alterum, propterea quod in editionibus Rom. a. 1648. & Lugd. a. 1659., & Venet. 1660. & iterum Lugd. an. 1679. Retractatio reperitur omnino nulla. At ſi Concina uſus tunc editione an. 1679. fuit, quae quarto poſt interitum Tamburini anno curata Lugduni eſt, quo tandem modo ſuſpicari poterat, ullam in poſterioribus editionibus Retractationem legi? Etenim ne fando quidem eſt auditum, eum qui interierit, quinto poſt mortem anno ſuam revocaſse ſententiam. Si ergo in Editione anni 1679. curata anno poſt interitum Tamburini quarto nullam reperit Concina *Retractationem*, vitio illi dandum non fuit, ac ſi conſulto eam ipſam *Retractationem* aut praetermiſerit, aut occul-

cultarit ; cum ne in cogitationem quidem cadat , eum qui non revocavit , antequam obiret , ſuam ſententiam , eamdem poſt interitum revocaſſe .

Extremum eſt, ut moneam erraſſe haud leviter Te ubi dicis *nuſquam* eam doctrinam fuiſſe a Tamburino *impreſſam* niſi *hoc loco* ſeu libro *de Methodo communionis* . Nam eam ipſam quaeſtionem agitatam reperio in eo opere, quod inſcribitur *De Praecept. Eccl.* Quod ſi reſpondeas , adiunxiſſe Te τὸ *quod ſciam* , eſſe hoc tibi adjumento reſponſum nullo modo poteſt . Qui enim Concinam negligentiae nomine accuſas , quod *Retractationem* praetermiſit , quamquam eſt uſus ille editione , in qua Retractatio non extabat,remque ageret breviter; Tu qui data opera , qui diligenter , qui ſummo ſtudio Tamburinum defendis , quod hunc locum Tamburini praetermiſeris , excuſari ab eruditis viris nequaquam poteris.Quid vero ſi haec ipſa quaeſtio inſerta Tamburini operi de *Praecept. Eccleſ.* poſt auctoris interitum ab aliquo alio eſt ? Quum jam demonſtratum ante a me fuerit , in editione *Tract. de Meth. Comm.* an. 1679. nullam Tamburini retractationem contineri , adeoque con-

concedendum omnino ſit quarto ab ejus auctoris interitu anno cogitatum de retractatione non fuiſſe : quumque Alegambe confiteatur opus de *Praecept. Eccl.* non fuiſſe vivo Tamburino impreſſum ; certumque ſit, impreſſum primum anno 1694 fuiſſe : quemadmodum oſtendes, a Tamburino fuiſſe in hoc poſtremo libro de *Praeceptis Eccleſiae* verborum Concilii Tridentini ita, ut poſtulat decretum Alexandri VII., explicatam ſententiam ?

XVII. Secundo loco lubet illud expendere, quod ais capite *XI.* p. 19. *Vindicatur ab impoſtura P. Sanchez.*

Concina Tom. 2. pag. 165. habet hoc modo : *Licitum ne duellum eſt ad evitandum periculum vitae, honoris, aut fortunarum?* Reſ. *non modo acceptare licite duellum ad ejuſmodi declinanda mala, verum indicere etiam te illud poſſe docent Salmanticenſes Tract. X. cap. 4. punct. 3. num. 39. Sanchez lib. II. in decalog. cap. 39. num. 8. Diana p. V. Tract. XIII. reſol. 27. Leſſius lib. II. cap. IX. dub. 8. num. 49. Caſtropalaus Tract. VI. diſp. VI. punct. 7. num. 9. & alii.*

Tu, qui vindex es veritatis, rem hoc modo proponis : P. Concina Tom. 2. pag.

pag. 165 : *Licitumne duellum eſt ad evitandum periculum vitae, honoris, aut fortunarum? Reſpondeo. Non modo acceptare licite duellum ad ejuſmodi declinanda mala, verum indicere etiam te illud poſſe docent ..... Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 39. num. 8.*

XVIII. Tum verbis hujus numeri 8. allatis negas Sancheſium in ea opinione eſse verſatum, quam hic defendunt Salmanticenſes. Sit ita. An propterea accuſandus erat Concina *Impoſturae?* Id ille apud Salmanticenſes legerat, eos unice hoc loco refellit, ceteros eo tantum nominat, quo demonſtret, ut fieri ſolet, quibus illi ad eam rem confirmandam uſi ſint Auctoribus. Si quos illi ſibi eſse conſentientes dixerunt, qui poteſt id Concinae a quoquam vitio dari, & quod longe eſt gravius, impoſturae aſſignari? At debebat, inquies, lectum adire Sancheſium: Ergo Dianam, tum Leſſium, poſt Caſtropalaum, deinde alios; eoſque non hoc loco tantum, ſed etiam in ceteris quibuſque quaeſtionibus, in quibus ſaepe decem, aut viginti, aut triginta contingit ab Leandro, aut Salmanticenſibus teſtes appellari, adire debuiſset? Quod cum ſit ridiculum,

lum, (praeter enim quam quod inanem, & non neceſsarium laborem ſuſcepiſset, ne decem quidem annorum ſpatio unum volumen Theologiae confeciſset) non video, qua ratione contendas adeundum illi fuiſse Sancheſium. Neque ratio ulla erat, cur ille ſuſpicaretur, vos indigne laturos, cum diu ante Leandri, Salmanticenſiumque opera edita fuiſse, neque ullum Veſtrum contra ſurrexiſse perſpiceret, qui eos Scriptores inſectaretur. Immo vero laudatos a Veſtris eos fuiſse cognorat, prudenterque ſibi perſuadere poterat, reprehendi a vobis ſeſe non poſse ob eam rem, ob quam eos cum laude ab aliquo Veſtrum appellatos fuiſse interdum exiſtimare liceret, reprehenſos numquam. Sed rem multo aliter eveniſse animadvertit, quòd Leander, & Salmanticenſes Scriptorum veſtrorum opiniones, quas minus accurate quandoque retuliſſent, probarint; ipſe contra quamquam diligens in deſcribendis, indicandiſve ſententiis Caſuiſtarum veſtrorum fuerit, has tamen refutarit, quamque eſſent cum ratione, communique hominum ſenſu pugnantes oſtenderit. Praeterea an in ſuſpicionem illi cadere poterat, eam opinio-

nionem non docuiſse Sancheſium? Si unum aliquem magnae auctoritatis nominatum inveniſset, puta Thomam Aquinatem, Scotum, Antoninum, Raymundum, Bellarminum, Suareſium, de quibus aeque, cum opinio laxa eſt, utrum recte appellentur, dubitari poteſt; hi quidem adeundi ab eo fuiſsent, ut ſaepe quidem adivit, fraudemque Caſuiſtarum in proferendis horum Doctorum teſtimoniis patefecit. Mitto ceteros: nonne ſaepenumero Suareſium, cujus auctoritate frequenter abutuntur Caſuiſtae, non ſolum lectum adivit, ſed etiam ſtrenue defendit? At quod velis etiam Sancheſium adire debuiſse, nimis, mihi crede, durum eſt, atque omnino intollerabile. Sequitur enim ex eo, ceteros quoſque, quos ſane non antecellit Sancheſius, eidem adeundos fuiſse. Neque obſtat Auctorem *Theologiae* ſaepenumero declaraſse, ſe fontes adiiſse, & Theologos accurate legiſse. Id enim egregie praeſtitit, cum eos nominatim confutavit (quod unum promiſerat) ut hìc Salmanticenſes, aut ipſorum verbis opiniones propoſuit: non item cum vel a Salmanticenſibus, vel a Leandro a SS. Sacramento, vel a ceteris Caſuiſtis magno numero

mero laudatos tantum nominavit. Tunc enim neque ſe legiſse dixit, neque, ſi legiſset, magnum, amiſso tempore, operae pretium feciſset.

XIX. Fac tamen lectum adire debuiſſe, neque tamen adiiſse Sancheſium. Nonne vobis ſatisfecit? nonne confeſsus eſt, tantum otii ſe non habuiſse, ut omnes, qui ab aliis nominantur, legeret Auctores, contentumque fuiſse Salmanticenſium, aut Leandri a SS. Sacramento, qui diligentiſſimi habentur, de quibuſque vos nunquam conqueſti eratis, allegationibus? En tibi verba Declarationis ejus, quae vobis initio tantopere placuit. p. 2. *Praeterea cum tantum otii mihi non fuerit, ut ſemper ſingulos Caſuiſtas conſulerem, & poſtquam unum aliquem principem, puta Leandrum, aut Salmanticenſes conſului, hos in ceteris citandis ſim ſecutus, hinc ortum eſt, ut perperam, non tamen voluntate auctoribus quarundam opinionum, quae laxae ſunt, quoſdam doctos ſocietatis Scriptores annumeraverim*: nempe *Tomo 2. pag. 165. P. Sanchez pro opinione, quae dicit licere duellum ad evitandum periculum vitae, honoris, aut fortunarum.*

Aequum

Aequum erat, & tuis rationibus magis conſentaneum, te huic publicae acquieſcere *Declarationi*, & ſi quid vitii, aut negligentiae in hoc Scriptore allegando fuiſſet, non iterum invidioſo *Impoſturae* nomine Concinae exprobrare. Nimis enim illiberale eſt, non ſinere illius, qui tibi ſatisfecit, obſoleſcere peccatum. Quando tamen acquieſcere noluiſti, ne nobis quidem acquieſcendum eſt. Ergo age, quorumque hoc loco ſit error videamus. Ais tu quidem Concinae eſſe, proptereaquod Sanchez contrariam diſerte, & aperte docet num. 8. opinionem: *Tertia cauſsa eſt defenſio vitae propriae, & ob hanc cauſſam non licet ſponte duellum acceptare. Quia etſi liceat vim vi repellere, ſe ab invaſore defendendo, etiam eum necando, quando aliter vita defendi nequit: at hoc non eſt duellum; ſed quando ex condicto ſponte indicitur, aut acceptatur certamen: quod non eſt vitam defendere, ſed eam periculo exponere.*

Addis, eum nihil habere de defenſione fortunarum, quam quaeſtionem ſi tractaſſet, haud dubie negaturum fuiſſe, licere duellum, quemadmodum negat cum agit de honore defendendo num. 9.

Quar-

Quarta cauſa eſt defenſio proprii honoris ... at dicendum eſt, hanc non eſse juſtam acceptandi duelli cauſsam, ſed eſse culpam mortalem acceptare.

XX. His tu quidem ſatis defenſum eſse Sancheſium, convictumque Concinam *Impoſturae* arbitrare, ſed vehementer fallere. Nam Sanchez haud dubie pravam illam, quam defendunt Salmanticenſes, tuetur de duello opinionem. Ubi nam? inquies. Eodem *lib.* 2. *De praec. Dec. c.* 39. *p.* 295. *edit. Lugd.* 1637. *n.* 7. non, ut ſcribunt Salmanticenſes, 8.; Et hic eſt omnis in allegando Sancheſio eorum error, &, ſi vis, Concinae *Impoſtura*. En tibi n. 7., quem velim attente legas, atque perſpicias, an dolere potueris, Concinam lectum non adiiſſe Sancheſium. „ Dubium autem eſt: an „ liceat innocenti id duellum acceptare, „ ſive offerre, quando certum eſt fore, „ ut actor per fraudem in Judicio ipſum „ opprimat, & ejus injuſtam condemnationem impetret?

„ Quidam neutrum licere ajunt, „ quod ſui defenſor ille ſolus dicatur; „ qui invitus ad pugnam ab aggreſſore „ cogitur. At hic etiam ad duellum provocatus, id ſponte acceptat. Quamobrem

„

„ brem non tamquam ſui defenſor excu-
„ ſandus eſt, ſed tamquam invaſor con-
„ demnandus. Ita docent Abulenſis I.
„ Reg. cap. 17. quaeſt. ult. Salon. 22.
„ quaeſt. 64. art. 3. controv. 3. Aliis pla-
„ cet licere, quando certum eſt, innocen-
„ tem condemnandum ad mortem, muti-
„ lationemve: ſecus in aliis caſibus.
„ Prius probant, quia id eſt ſubire minus
„ malum, nempe dubiae mortis, aut mu-
„ tilationis periculum, ad avertendum ea
„ damna certo ob adverſarii injuriam
„ ſubeunda. Nec hoc eſt duellum vere,
„ ſed defenſio contra invadentem. Non
„ enim reipſa differt, velle occidere pro-
„ prio gladio, aut alieno. Poſterius pro-
„ bat Cajetanus ſtatim alleg. Quod
„ defenſio armis non liceat, niſi contra
„ invadentem armis. Ita ſuſtinent Caje-
„ tanus 2.2. quaeſt. 95. art. 8. circa ſolu-
„ tionem ad 3. in 4. cauſa, & in ſumma
„ verb. Duellum. Navar. Summa Latina,
„ & Hiſpana c. 11. n. 39., & cap. 15. n. 9.
„ Val. 2.2. Diſput. 3. quaeſt. 17. punct. 1.
„ col. 2. verſ. *eſt autem aſſertio*, & v. *talis*
„ *autem Caſus*; & in 4. Cauſa acceptandi
„ duelli. Et Cajetanus de ſola duelli ab
„ actore oblati acceptatione loquitur: de
„ pro-

„ provocatione autem facta per innocen-
„ tem ad illud, nil dicit. At Valent.
„ de utroque loquitur, & dicit, utrum-
„ que innocenti illi licere. Quia (ut ait
„ ipsemet eod. punct. I. col. 5. vers.
„ *Nec secundo*) ejusdem rationis sunt
„ ad duellum provocare, & illud acce-
„ ptare, quoties causa necessariae de-
„ fensionis utrumque fit. Atque limitat
„ solus Cajet., dummodo duellum illud
„ de consensu Principis ineatur. *Sed me-*
„ *lius alii dicunt* licere huic innocenti
„ duellum ad vitam, honorem, & res fa-
„ miliares in notabili quantitate tuen-
„ da, quando constat omnino, injuste,
„ & per calumniam actorem procedere:
„ & certum omnino est, fore, ut inno-
„ cens haec amittat, nec aliud sibi eva-
„ dendi remedium suppetat. Quia si hoc
„ duellum rationem defensionis cum mo-
„ deramine inculpatae tutelae induit,
„ (utDoctores secundae sententiae faten-
„ tur) ea defensio contra invasorem est
„ licita *& pro vita, & pro honore, & pro*
„ *rebus* etiam tuendis. Et ita hanc sen-
„ tentiam tenent Bannes 2.2.q.64. art.7.
„ Dub. 4. corp., & in solutione ad 2.
„ Manuel I. Tom. Summ. in secunda

„ editione cap. 73. num. 1. Navar. lib. 2.
„ de Reſtitut. cap. 3. in 2. part. Dub. 13.
„ in nova editione n. 289. & 290. Ubi
„ merito rejicit limitationem Cajet. pe-
„ tentis conſenſum Principis. Nam de-
„ fenſio jure ipſo naturali absque alicujus
„ licentia conceditur. Atque optime
„ Bannes ait; licere innocenti in his ca-
„ ſibus acceptare, & offerre duellum. „

Quid ais modo? Quam tibi Sanchez videtur aperte, & diſerte docere ſententiam? Negantem ne, an vero ajentem non ſolum vitae, ſed etiam honoris, fortunarumque defendendarum cauſa licere duellum? Perge tamen; nam invenies praeterea Sancheſium, cum animadvertiſset, id eſse in duello periculi, ut ſaepe vitam amittat, qui eam duellando tueri velit; traditamque propterea ab ſe doctrinam qui id conſideret, non probaturum, aut inutilem judicaturum: impavide docere, ne illud quidem peccatum eſse, ſi quis duello praetermiſso, actorem illum, qui ſe calumniando perdere velit, *Dolo* interficiat; immo hominem innocentem, qui injuſtum accuſatorem interficere poſſit, debere omnino duelli non adire periculum. Perſequitur enim hoc modo.

Atque

Atque optime Bannes ait licere innocenti in his caſibus acceptare & offerre duellum ob rationem traditam. Immo & non provocando ad duellum interficere occulte actorem illum calumnioſum; cum haec occiſio ſit vera defenſio. Immo bene Navarr. eo num. 290. ait, teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, ſi poteſt occulte illum occidendo, id vitae, honoris, rerum familiarium periculum evadere. Quippe ſic proprium vitae periculum in duello imminens vitabit. Lateret fortaſse in praeſentiarum haec Sancheſii doctrina, ſi tu contentus, ut par erat, Concinae, *Declaratione*, ab eo rurſus *Impoſturae* accuſando tibi temperaviſſes. Is enim ita reſponderat, ut quivis perſuadere ſibi poſſet, Sancheſium in ea opinione non fuiſſe, atque haud recte a Salmanticenſibus allegatum fuiſſe. At nunc, te volente, & nos ad Sancheſium rurſus legendum compellente, ſcimus, eum vitae, honoris, fortunarumque defendendarum cauſſa, non ſolum duellum, ſed etiam, quod deterius eſt, *Homicidium proditorium* permiſiſſe, duaſque propoſitiones uno loco docuiſſe, quae poſt damnatae fuerunt, altera quidem ab Alexandro VII. quae eſt 18: *Licet*

interficere falſum accuſatorem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare: Altera ab Innocentio XI. quae eſt 30: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter haec ignominia vitari nequit*.

Neque mihi obiicias, quemadmodum Concinae, quae docet Sancheſius num 8. & 9. Namque ego tibi rurſus obiiciam, quae docet numero 7., atque ex te quaeram, utrum haec uſquam revocarit.

Ceterum ſi bona fide (liceat etiam mihi ſemel, & iterum hoc verbum uſurpare) uti voluiſſes, non erat opus magna attentione, ut intelligeres numeri 7, & aliorum duorum valde inter ſe differre quaeſtiones. Nam in 7. de vita, de honore, deque fortunis, cum in judicio maligni accuſatoris calumnia haud dubie periclitantur, duello defendendis agit: in reliquis duobus illud inquirit, utrum cum hoſtis, aut aliquis improbus ad duellum invitat, liceat illud vitae, aut honoris tuendi cauſſa non recuſare. Et negat quidem licere tuendae vitae cauſſa duellum, quia accidere non poteſt, ut aliquando ad eam tuendam conducat. *Tertia cauſa eſt*, in-

inquit, *defenſio vitae propriae, & ob hanc cauſam non licet ſponte duellum acceptare. Quia* (hic animum advertito) *etſi liceat vim vi repellere, ſe ab invaſore defendendo, etiam eum necando, quando aliter vita defendi nequit: at hoc non eſt duellum: ſed quando ex condicto ſponte indicitur, aut acceptatur certamen. Quod non eſt vitam defendere, ſed eam periculo exponere.* Intellextin? vel non eſt duellum: vel eo vita non defenditur, ſed magis in diſcrimen adducitur. Quare hanc quaeſtionem *de ſubjecto non ſupponente* Scholaſtici appellarent.

Num. autem 9. de viro nobili, utrum huic liceat, ne ignavus videatur, non recuſare duellum, ita reſpondet. *Dicendum eſt, hanc non eſſe juſtam acceptandi duelli cauſam, ſed eſſe culpam mortalem acceptare. Ducor quia* (hic quoque animum advertito) *etſi apud vulgares, & improbos id ignominiae tribuatur, tamen apud ſapientes, & probos id honori adſcribetur, quando gratia divinae legis ſervandae duellum oblatum reſpuitur: quod falſae vulgi opinioni praeponderat.* Haec ille: quae ſane quemadmodum componi cum tuis verbis poſſint, non video.

Denique quod ais d.c.xi.p.20. *Pro defenſione fortunarum quaeſtionem non tractat. Nec dubito quin, ſi tractaret negaturus eſſet*, Utrumque falſum eſt: & tractat, & non negat. *Sed melius*, inquit, *alii dicunt licere huic innocenti duellum ad vitam, honorem, ET RES FAMILIARES IN NOTABILI QUANTITATE TUENDA.*

XXI. Quum finem huic capiti imponerem, venit mihi in mentem Caſtropalai Societatis Jeſu Scriptoris, qui laudatur una cum aliis a Salmanticenſibus. Continuo lectum adii. Quid putas? Fefelliſſe me opinionem meam, & hunc Caſuiſtam, qui poſt Sancheſium ſcripſit, non laudare Sancheſium? Nihil minus. Nam Tract. VI. diſput. V. (non VI, ut a Salmanticenſibus, & Concina ſcribitur) punct. 7. num. 9. pag. 656. col. 1. edit. Lugd. ann. 1631.
„ Sexta cauſa, *inquit*, quae eſt periculum vitae, honoris & fortunarum magis eſt controverſa inter Doctores ....
„ .... Ut ergo cum diſtinctione procedamus, proponendi ſunt caſus, in quibus hoc periculum neceſſario quis ſubire poteſt, & offertur duellum ad illius evaſionem. Primo, ſi minetur tibi aliquis
„ mor-

„ mortem, aut falſum teſtimonium, aut
„ gravem jacturam divitiarum, niſi duel-
„ lum cum illo acceptes, & credas ſine
„ dubio tibi illud malum inferendum eſſe
„ recuſato duello; in hoc caſu tibi lici-
„ tum eſt duellum acceptare, imo ad il-
„ lud invitare, quia non invitas ad ma-
„ lum, ſed ad minus malum; neque enim
„ eligis periculum mortis abſolute, ſed
„ certum periculum mortis, infamiae,
„ amiſſioniſque bonorum commutas in
„ periculum dubium, & incertum. Sic
„ Sanchez lib. 2. cap. 39. num. 8.

Nunc explices, oportet, Noceti, qui fiat, ut, cum duo, Concinam dico, & Caſtropalaum, eodem modo Sancheſium laudent, non uterque *Impoſturae*, ſi impoſtura eſt, vel unus Concina, ſi non eſt, accuſetur.

XXII. Tertium illud eſto, quod attinet ad Matrimonium, & in c. xxxiv. abs te ponitur: ubi, *Reſtituitur*, inquis, *ſuae integritati ſententia Tamburini*. Ut rem perſpicue proponam; cum Tamburini, tum Concinae integrum locum deſcribam oportet. Quaerit Tamburinus lib. 5. in Decal. c. 2. §. 3. n. 5. p. 23. col. 1. edit. Lugd. 1659. *An cum indignis poſſint Filii licite contra-*

here, patre, vel genitrice dissentientibus? Et postquam admodum probabilem ait esse quorumdam opinionem, qui negant posse, *Fateor tamen*, inquit, *probabile item esse, ac tutum, quod possint. Ratio praecipua est modo dicta: Filium scilicet omnino liberum esse, nec alicui subiici hac in re. Addit Sanctus Thomas 2.2. q.104. art.5. in corp. in iis quae ad proprii corporis sustentationem, prolisque generationem attinent, omnes homines esse pares: atque adeo ne filios quidem in his duobus subjacere parentibus. Et recte docet Sanchez adeo filiam liberam esse, ut etiam ante vigesimum quintum annum nubere valeat etiam indigno, & sine Patris consensu, ne alias matrimonii libertas impediatur, deturque puellis ansa occulte delinquendi.*

Secundum haec consilium praebet, & consilium quidem, non praeceptum esse, diligenter monet *ib.n.6.*„Illud adverto, „ esse conveniens, ut saltem a Patre con- „ silium petatur; siquidem in re tanti mo- „ menti congruit Patris consilium explo- „ rare, licet sine obligatione sequendi. Et „ quamvis Sanchez loco citato arbitre- „ tur peccare mortaliter filios, si in ma- „ trimoniis eligendis a parentibus ejus-

„ mo-

„ modi conſilium non expoſcant; Ego ta-
„ men, pace tanti viri, huic ſententiae
„ non aſſentior. Ut quid enim tantum
„ peccati mortalis onus, ſi eis tandem
„ conſilium Patris reſpuere concedatur?
„ Adde primo, ſi nonniſi cauſa conſilii
„ Patrem docere de meo matrimonio de-
„ beo; poſſe fortaſſe me a prudentio-
„ re viro illud petere, & ſic non indigere
„ paterno. Adde ſecundo, cum nos,
„ & ipſemet Sanchez agamus in praeſen-
„ tia de Filiis volentibus contrahere cum
„ indignis; ſi ſub mortali obligare-
„ mus Filios ad Patris conſilium expo-
„ ſcendum, illos regulariter coniicere-
„ mus in pericula rixarum. Certum
„ enim erit, Patrem contradicturum,
„ cum agatur de ſuae familiae dedecore:
„ multo magis ſi conſtans ſupponitur fi-
„ lius in arrepto propoſito contra Patris
„ apertum Conſilium: quam conſtantiam
„ licite ſartam tectam ſervare poſſe me-
„ rito fatetur idem Sanchez. Satius ergo
„ fore videtur curare ut ignoret Pater
„ quam ut noſcat, & coram ejus auctori-
„ tas deſpiciatur. Quare ſi ſtatuit (*hic Noceti attentum te volo*) „ Evariſtus Pa-
„ pa cap. *Aliter* 30. quaeſt. 5. ut pro nu-
„ pta

„ pta nequaquam habeatur puella, quam
„ Pater ipſe non deſponſat: Si Leo Pon-
„ tifex cap. *qualis* 30. quaeſt 5. & S. Am-
„ broſius cap. *honorantur* 32. quaeſt. 2.
„ ajunt non eſſe virginalis pudoris, ma-
„ ritum eligere, ſed judicium parentum
„ eſſe expectandum: ſi in ſacris litteris
„ parentibus tribuit hoc munus Sap. 7.
„ *Da filiam tuam viro prudenti*: Si Sanctus
„ Paulus 1. Cor. 7. expreſſe docet a pa-
„ rentibus tradendas eſſe filias nuptiis: Si
„ multa ſacrarum Litterarum exempla,
„ quae affert Bellarminus loc.c. prop. 3.
„ *& in fin.* id manifeſte demonſtrant
„ &c. „

Tot autem divinae Scripturae, Canonum, Patrumque teſtimoniis, quae rem, fatente Tamburino, manifeſte demonſtrant; nempe Filios Patri in matrimonio ineundo morigeros eſſe oportere, quid ipſe putat reſpondendum? His quidem effici, honeſtum eſſe, Filios a Patre conſilium petere, graviter, ni petant, peccare non effici. *Reſponde*, inquit, *cum eodem Sanchez in ſimili haec & ſimilia probare quidem eſse valde honeſtum ejuſmodi conſilium a Patre conquirere, diram peccati mortalis neceſſitatem non probare. Haec dicta*

dicta ſunt quando ex hujuſmodi matrimonio non timetur fore, ut ſequantur gravia mala, ſive ſcandala, ſive alia incommoda; tunc enim ut notat Sanchez loc. c. num. 11. *contra charitatem ex alio capite, quam ex ſolo parentum involuntario, peccati labes poſſet emergere.*

Hactenus Tamburinus de hujuſmodi matrimoniis. Nunc illud perſpicito, quemadmodum ab Auctore *Theologiae* reiiciatur haec opinio Tom. 4. pag. 212. ubi diſſerit de obedientia a Filiis Parentibus adhibenda: *Quid* inquit, *ſi filii indignam Sponſam in matrimonium inconſultis parentibus ducant? Nec tunc eos peccare mortaliter contendit P. Thomas Tamburinus lib.* 5. *in Decalog. cap.* 11. §. 3. *num.* 5. *& 6. Verum laxiſſimam Theologi iſtius opinionem improbant communiter alii Theologi. Plures laudat, & ſequitur vel ipſe Leander Tract.* 1. *diſp.* III. *quaeſt.* XII. *Res ſuaptae natura clara eſt: Tenentur enim filii parere genitoribus praecipientibus, ne rem inhoneſtam, & proprio ſtatui indecoram peragant: dedecet autem magnopere indignam ducere Sponſam: & ejuſmodi matrimonia plura conſequi ſcandala ſolent, jurgia, rixae, diſſidia, fa-*

familiarumque graviſſima incommoda. *Verum plura de his in Trac. de matrimonio*.

Nunc paucis Te volo Vindicem veritatis. Quid hoc loco ſententiae Tamburini reſtituis? Quid illi fuit a Concina detractum? Nam & Tamburini periculoſa, & Concinae valde ſana, propiorque ad veritatem mihi videtur eſſe ſententia. *At refellit*, inquis, Concina *laxiſſimam, ut ipſe ait, hujus Theologi opinionem, quia* (*ſunt ejus verba*) *ejuſmodi matrimonia plura conſequi ſcandala ſolent, jurgia, rixae, diſſidia, familiarumque graviſſima incommoda*: neque animadvertit his de cauſſis etiam Tamburinum ea improbare matrimonia, numero 6. *Haec dicta ſunt, quando ex hujuſmodi matrimonio, non timetur fore, ut ſequantur gravia mala, ſive ſcandala, ſive alia incommoda. Tunc enim, ut notat Sanchez l. c. num.* 11. *contra charitatem ex alio capite, quam ex parentum involuntario, peccati labes poſſet emergere*.

Sed ego Lectorum fidem appello. Concina non propterea opinionem Tamburini refellit, quod ex iis matrimoniis ea mala conſequantur, ſed quia (haec item ſunt ejus verba) *tenentur filii parere genitori-*

toribus praecipientibus, ne rem inhoneſtam, & proprio ſtatui indecoram peragant: dedecet autem indignam ducere uxorem.

Haec eſt ratio, quare Concina, ceterique ſani Theologi, exceptis Sanchez, & Tamburino, non licere exiſtimant ejuſmodi matrimonia: ex quibus ſi mala, atque incommoda conſequantur, cum jam minime ſua natura licerent, multo fiunt deteriora. Atque hac de cauſsa, loc. cit. addit. *Et ejuſmodi matrimonia plura conſequi ſcandala ſolent, jurgia, rixae, diſſidia, familiarumque graviſſima incommoda.* Concina obedientiae, quam debent filii parentibus adhibere, imprimis rationem habet. At Tamburinum permittere filiis, ut haec ineant matrimonia, quin ullam hujus obedientiae rationem habeat; iiſdem ſuadere, ut de iis ineundis conſilium a parentibus petant, ſed item velle illud eos ſequi non oportere; docere ſatius eſse, ut ipſi ineundi matrimonii conſilium parentes celent, quam ut, eo patefacto, palam eorum reſiſtant voluntati; denique tum ſolum in his matrimoniis *peccati labem poſse inſurgere* (eccujus peccati non audet explicare) cum ex iis mala, atque incommoda proficiſcuntur, adduc-

ductis ejus verbis, non eſt opus pluribus demonſtrare. Ais tu quidem Tamburinum alia ſubdere, *quae illam ſententiam temperant, limitant, plurimumque coercent*; ſed oſtendito mihi quae ſint; nam praeter *mala, atque incommoda*, quae poſſunt ex iis matrimoniis proficiſci, ex quibuſque *peccati labes*, ut ait, *poſſet emergere*, magnam mihi videtur concedere filiis libertatem, atque etiam licentiam; nihilque omnino, quo ſuam temperet, limitetque ſententiam, invenio. Hic non eſt in controverſia poſitum, an malorum fugiendorum cauſsa, ſed utrum ex obedientia, quam convenit parentibus filios adhibere, liceat aliquam indignam habere in matrimonio. Ex quibus facile intelliges, an gloriari poſſit Auctor Theologiae Chriſtianae, *ſe integre referre ſententias Jeſuitarum*: quod erat tibi demonſtrandum.

Accuſationem tuam concludis hoc modo: *Eandem Tamburini opinionem avulſam a contextu, & a limitationibus appoſitis a Tamburino, propoſuit Henricus a Sancto Ignatio in ſuo Catalogo num. 90. Sed oporteret legere Jeſuitas in fonte, & non tantum in Henrico a Sancto Ignatio,* &

& ſimilibus. Quorſum haec ? quanti tandem erat hunc locum Tamburini non in Henrico a Sancto Ignatio, ſed in ipſo legere Tamburino ? Cur Concina non legeret ? Ut illum, (quod ei objeciſti) corrumperet ? Atqui opus ad eam rem non erat Henrico a Sancto Ignatio; cum aeque potuiſſet lectum in Tamburino, ſi voluiſſet, corrumpere. Cui rei tu es ſane magno documento. Nam certe Concinam ipſum legiſti, & nihilo ſecius hunc ejus locum haud integre retuliſti. Haec eo ſpectant, ut tandem aliquando intelligas, nihil has accuſationes conducere ad veritatem recte vindicandam.

XXIII. Quarto loco illud arripio quod eſt de abſolutione iis impertienda, qui pravam habent conſuetudinem blaſphemandi: de quibus cap. 20. ita Concinam differentem inducis: Tom. 3. pag. 109., *Qui conſuetudine blaſphemandi tenentur, debent ne abſolvi antequam a conſuetudine prava receſſerint ? Reſpondeo. Adfirmat de more Leander diſputatione 7. quaeſtione 67., probabilius ſibi eſſe abſolvendos blaſphemos, ſi vere de peccatis doleant, tametſi ſaepius admoniti non reſipuerint: & pro hac ſua opinione lau-*

laudat Sanchez.... & alios. Recenſita Leandri, & aliorum ſententia proſcripta eſt ab Innocentio XI. in hac propoſitione„ Poenitenti „ habenti conſuetudinem peccandi con„ tra legem Dei, naturae, aut Eccleſiae, „ licet emendationis ſpes nulla appareat, „ nec eſt deneganda, nec differenda ab„ ſolutio, dummodo ore proferat ſe do„ lere, & proponere emendationem„. *Juniores Caſuiſtae noſtri, ut conſulant laudatis Theologis, de more clamitabunt, aut ab aliis etiam Theologis ſimilia doceri; quod ſi verum eſt, illi reiiciendi ſunt; aut minus ſincere iſtorum opiniones relatas eſſe. Quam cantionem valde rancidulam pluries ut ridiculam propulſavimus.*

His ex Auctore *Theologiae* deſcriptis, & quam ipſe non protulit, abs te ultro producta opinione Sancheſii ex lib. 2. in Decalog. cap. 32. num. 45. *Secundo dico: quando nil curae appoſuit ad emendam, admonituſque eſt ſaepe in aliis Confeſſionibus, poſſe adhuc hunc in rigore abſolvi ſtatim, ſi vere doleat de praeteritis, ac in poſterum emendam firmiter proponat*; „ Videamus „ nunc, *inquis*, utrum Sancheſii Senten„ tia ſincere proponatur lectoribus, dum „ affirmatur abſolute, atque intrepide il„ lam eſſe proſcriptam„. XXIV.

XXIV. Si Concina hoc loco Sancheſium confutaret, & hanc ejus opinionem referret, proſcriptamque fuiſſe diceret, haud ſane mirarer, habere Te quod illi opponeres; ſed quum, propoſita Leandri ſententia, nihil aliud de Sancheſio pronunciet, niſi eum a Leandro laudari: *Laudat*, inquit, *Sanchez, Caſtropalaum, Hurtadum, Trullenchum, & alios*, non video qua ratione, ſi forte non recte laudat, id in eum velis derivare. Et ſane ſcire velim, quid illum facere oporteret, ut plane Vobis ſatisfaceret, omneſque praecideret occaſiones accuſandi ſui? Omnes omittere, quos ſolent Caſuiſtae in ſuae opinionis praeſidium vocare? id facile poterat, ſed tutum non erat. Nam quum loco ab *Auctoritate* prolixe utantur Caſuiſtae, haud dubie, ſi feciſſet, doluiſſetis eum tanto praeſidio Theologos, quos refellit, callide, malitioſeque exuiſſe, neque oſtendere lectoribus voluiſſe, quibus Auctoribus uſi eſſent ad eas opiniones confirmandas. Univerſos, quos quiſque Caſuiſta laudaret, lectum adire? id non erat ab eo requirendum, qui Moralem Theologiam explicandam, non Theologorum *Citationes* emendandas ſuſcepiſſet: in quibus

etiam legendis multum temporis ſine magno fructu conſumpſiſſet. Et ſane quum Leander (utar enim exemplo, quod prae manibus habemus) non ſolum *Sancheſium*, *Caſtropalaum*, *Hurtadum*, *Trullenchum*; ſed etiam *Henriqueſium*, *Suareſium*, *Reginaldum*, *Granadum*, *de Lugoque* appellet, jam novem illi, & qui forte ab unoquoque iſtorum pari numero laudantur, legendi erant Doctores, priuſquam unam refelleret Leandri opinionem. Illud igitur reſtabat, ut lectores admoneret, non eſse Caſuiſtis, cum laudant Theologos, adhibendam fidem. Quod quum egregie praeſtiterit, neque ſolum ſaepenumero inculcaverit, ſed etiam exemplis oſtenderit, nullus Vobis de eo ſupereſse videtur conquerendi locus; multo minus, ut ex omni numero Doctorum, qui in cujuſque opinionis ſubſidium vocantur, unum & alterum, qui forte haud recte vocentur, arripientes, eum negligentiae, aut malitiae, quaſi is peccarit, accuſetis. Haec rurſus attingere volui, ut omni, quo poſsem, modo, exilitatem oſtenderem harum accuſationum, quarum tamen mihi non diſplicet refertam eſse *Veritatem vindicatam*. Id enim indicio ſapientibus erit,

erit, nihil vos in *Chriſtiana Theologia* reperire potuiſse, quod eſset magnopere reprehendendum.

XXV. Venio nunc ad argutias, quas exhibes, ut illam Sancheſii propoſitionem evincas non eſse proſcriptam, quam quidem, ut dixi, nemo ex Auctore Theologiae tam aperte, atque ex tuo libello, didiciſset, ab Sancheſio fuiſse deſenſam; quandoquidem Concina Leandri, non ullam refellendam Sancheſii hoc loco ſibi proponit opinionem. Si autem Sancheſii pervincere poſſes nonnihil (nam multum dicere non audeo), a proſcripta differre opinionem, quivis intelligeret, nihil aliud fore vitii in Auctore Chriſtianae Theologiae, niſi quod eas propoſitiones inter ſe differre non ſatis animadverterit. Qui praeterea, ſi ita quidem ſibi viſum eſse reſponderet; ſe tamen cum eo, qui quamobrem differant, perſpicue demonſtret, non repugnaturum, ſine dubio omni controverſiae finem imponeret. Sed age: ne iſtud quidem impetrabis, ut ita reſpondeat, neque ratiocinando efficere poteris, nonnihil a Damnata propoſitionem differre Sancheſii. Et profecto ita eſſe, ut praedico, vero vincam. „ *Propo-*

„ *ſitio*, inquis, *proſcripta dicit* Poeniten-
„ tem illum non modo poſse, ſed debere
„ abſolvi, nec deneganda, nec differenda
„ eſt abſolutio. *Sanchez dicit ſolum poſ-*
„ *ſe, & quidem* in rigore; *quaſi dicat,*
„ *multas poſſe circumſtantias occurrere,*
„ *ob quas licet in rigore poſſit, tamen ab-*
„ *ſolvi non debeat*.

Experire modo utrum noſtrum ſit validius argumentum. Si propoſitio proſcripta dicit: *nec deneganda, nec differenda eſt abſolutio*, hoc eſt, te ipſo fatente, *debet abſolvi*; doctrina Eccleſiae, quae rejecit propoſitionẽ, erit: *non debet abſolvi*. Atqui Sanchez ait, *poteſt abſolvi*; pugnant autem vehementer inter ſe, *non debet abſolvi*, & *poteſt abſolvi*. Itaque doctrina Sancheſii proſcripta eſt.

Neque refert quod ais, Sancheſium dicere: *poſſe in rigore abſolvi*: non enim eſt difficile, quid ſibi velit, intelligere; ſcilicet, omnibus, quae ad naturam ſacramenti, & hujus poenitentis, ut ajunt, conditionem, pertinent, accurate penſatis, nihil impedire quominus abſolvatur. Nonne ita ſolent plerumque loqui Caſuiſtae? Quod ſi tibi non placet, & aliud in mentem venit de Circumſtantiis *ob quas*, *li-*

licet in rigore poſſit, tamen abſolvi non debeat, non ullam tecum hac de re litem inſtituam, neque committam, ut adimere tibi videar licentiam interpretandi: tua tamen intereſt docere, quae ſint tandem in hoc caſu, quo de agimus, ejuſmodi circumſtantiae: *ob quas licet in rigore poſſit, tamen abſolvi non debeat.* Fateor enim eas me non invenire.

Inſiſtis tamen; nam *propoſitio*, inquis, *proſcripta dicit poenitentem illum*, „ debere abſolvi, licet emendationis ſpes „ nulla appareat „: *P. Sanchez de hac abſurda adjectione ne verbum quidem.*

Ne verbum quidem? Quid igitur ſibi vult cum ait, eum *adhuc abſolvi poſſe ſtatim, quando nihil curae appoſuit ad emendam, admonituſque eſt ſaepe in aliis confeſſionibus?*

Sed *adjectionem illam*, inquis, *ſatis aperte excludit, dum requirit*, „ verum dolo„rem de praeteritis, & firmum propoſitum „de futuris „: *quae certe fundare poſſunt ſpem aliquam emendationis.*

Quam tandem? num ſpes emendationis ex verbis melius, quam ex factis concipietur, & verba non fallent, quando facta toties fefellerunt? Sed quum ſpem

aliquam emendationis ex vero dolore, firmoque propoſito colligi velis, ſi dolorem ego, propoſitumque abeſſe oſtendero, nihil erit cauſſae, cur ullam ſpem emendationis adeſſe contendas.

Itaque quod addis, *in propoſitione damnata ſic eſſe*: „ dummodo ore profe„ rat ſe dolere, & proponere emen„ dationem „: *at Pater Sanchez nuſquam dicit ſibi ſufficere teſtimonium illud vocale, ſed poſtulat dolorem, qui ſit verus, & propoſitum reipſa firmum. Quae poſſunt hic, & nunc innoteſcere ex aliis ſignis, praeterquam ex verbali Poenitentis proteſtatione*; nimis leve eſt. Dic enim, oro te, unde tandem agnoſceret Sancheſius, illius hominis *verum dolorem, & firmum eſſe propoſitum*? arbitror ex unis verbis ejus, qui diceret, ſe dolere, atque emendare velle: ex his enim dumtaxat, qui animum non intuetur, quae ſunt animi, cognoſcere poteſt. *Sunt*, inquis, *alia ſigna*. Cedo quae ſint in eo, *qui admonitus eſt ſaepe in aliis confeſſionibus*, & nihilominus *nil curae appoſuit ad emendam*. Hic enim, quod vix eſſe monendum puto, ſermo non eſt de homine, qui forte miro quodam, atque extraordinario modo divini-

nitus incitaretur, & repente, quod raro accidit, magna gratiae vi ad ſanitatem revocaretur: de his enim caſibus loqui non ſolent Caſuiſtae, neque locum in iis habent eorum regulae. Itaque haec tua ſigna, quando coeleſtia non ſunt, non alia eſſe poſſunt, quam verba, quae aſſuetus blaſphemare ſaepe dedit ſacerdoti. Quare cum ſpem emendationis ex *dolore*, & *propoſito* colligas; *dolor* autem, & *propoſitum* non poſſint niſi ex verbis poenitentis colligi, unum reſtat, abſolvendum ex doctrina Sancheſii eſſe hominem aſſuetum blaſphemare, *licet*, ut eſt in propoſitione damnata, *ſpes emendationis nulla appareat, & dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem*.

At ne in poſterum dubitare poſſis, utrum doceat Sancheſius non ſolum poſſe, ſed etiam debere hunc hominem abſolvi, neque conducere ad eum excuſandum, quae a te de *circumſtantiis*, & *aliis ſignis* doloris ſunt excogitata, profero quae ſcribit ſub eodem n. 45. „ Tertio dico an ſit „ conſilium differre abſolutionem, pendere „ ex confeſſoris prudentia. Si enim poe„ nitens id non multum aegre ferat, & „ ſperetur non ob id retrahendum a Con-

„ feſſione, ſed potius id fore medicinam,
„ erit Conſilium differre abſolutionē ma-
„ jori ſuavitate poſſibili adhibita; *ſi autem*
„ *oppoſitum ſperetur*, *non erit Conſilium*;
„ niſi quando ille iis blaſphemiis ingens
„ praeberet ſcandalum, & ita Confeſſa-
„ rius judicaret poſtponendum privatum
„ illius ſolatium, & ad gloriam divinam
„ expediret illum non abſolvi, donec
„ ſcandalo publico ſatisfaciat nitendo
„ ad vitae emendam. „

Ex his intelliges, opinor, quae ſit tandem ſententia Sancheſii. Nam is hominem blaſphemare aſſuetum, qui non ſit magno ſcandalo, atque offenſioni, periculum ſit autem ne ferat, niſi abſolvatur, iniquo animo, nullumque fructum ex negata abſolutione percipiat, ſeſeque a Sacramento Confeſſionis abducat, negat eſſe conſilii non abſolvere: *Si autem oppoſitum ſperetur*, inquit, *non erit conſilii*. Itaque Sacerdos debet eum abſolvere, quod ipſum ajebat damnata propoſitio. An ullus eſt tergiverſandi locus? An non ita comparatum eſt, ut debeat Sacerdos, quam ne conſilii quidem eſt differre, omnino impertiri abſolutionem?

XXVI. Non puto autem hic te dictu-

rum,

rum, Sancheſium, *verum dolorem*, *firmumque* requirere *propoſitum*, neque verbis ejus, qui ſe dolere, & velle emendare dicat, eſse contentum. Nam in homine, qui licet blaſphemandi conſuetudine ſit implicatus, tamen iniquo animo, niſi abſolveretur, eſset laturus; nullum ex negata abſolutione fructum reportaturus; ſeſeque a Sacramento Confeſſionis abducturus, haud dubie unis verbis, ſi vis quidquam de dolore cognoſcere, opus eſt te eſse contentum. Hunc enim dolere, atque emendare velle ſeſe, niſi tandem is diceret, cui cadere in cogitationem poſset?

At ne ſi diceret quidem, quiſquam animum inducere poſset, ut crederet, eum ullo dolore affici, & deſiderio teneri emendandae vitae: & ſi, quod res eſt, fateamur oportet; damnata propoſitione longe deterior eſt opinio Sancheſii. In eo enim, de quo loquitur damnata propoſitio, una obſtaret prava conſuetudo, quominus, ſi diceret ſe dolere, ullam fidem faceret, neque tamen prae ſe quidquam gereret, quod cum dictis aperte pugnaret. Hic autem, de quo diſſerit Sancheſius, cum praeter pravam conſuetudinem tam ma-

male animo ſit comparatus, ut non ſolum ferret moleſte, ſe non abſolvi, ſed etiam, quin ullum fructum caperet ex negata abſolutione, a ſacramento poenitentiae arceret ſeſe, quem dolorem, etiamſi ſe dolere juraret, quam praeſeferret ſpem emendationis? Et tamen huic ne conſilii quidem res eſt, inquit Sancheſius, non ſtatim impertiri abſolutionem. Ex quo intelligas velim quo loco habendae ſint Sancheſii loquendi formulae, quibus tantopere confidebas: *Si vere doleat, ſi emendam firmiter proponat*. Mera verba ſunt, quando in eum, de quo loquitur, nec verus dolor, nec propoſitum cadit emendandae vitae.

Illud etiam eſt monſtri ſimile, eum, qui modeſte ad Sacerdotem accedit, & de quo Sacerdos bene ſperare poteſt, nihil indigne laturum, ſed fructum aliquem reportaturum negatae abſolutionis, non abſolvi: contra illum tumidum, & arrogantem, qualem Sancheſius deſcribit, tanto beneficio cumulari. Id enim Conſilii capere debet Sacerdos, qui Sancheſio auſcultandum putet, ut illius differat, huic ſtatim impertiat abſolutionem. Sed de Sancheſio ſatis.

XXVII. Cap. XXXIX. *Reſtituitur*, inquis,

quis, *ſuae integritati ſententia Patris Vaſquez*.

Hujus Theologi refert Concina Tom. 4. pagin. 354. in Catalogo hanc propoſitionem: „ Dicendum eſt, peccata „ luxuriae contra naturam, etiamſi magis turpia appareant, & majori nota „ infamiae digna, ex genere *tamen ſuo* minora eſse quam peccata furti, P. Vaſquez in 1. 2. D. Thom. Tom. I. quaeſt. „ 73. art. 4. in not. num. 30. „

Hanc propoſitionem ubi ex Auctore Theologiae deſcripſiſti: „ Si P. Concina, *inquis*, referret integre propoſitionem P. Vaſquez, nec detruncaret rationem, quam Vaſquez nullis interjectis adjungit, multo minorem invidiam „ apud lectores Doctos Vaſquez ſubiret. „ XXVIII. Neſcio quo jure doleas omiſſam ab Concina fuiſse rationem Vaſquezii. Ne fando quidem auditum eſt, in Catalogis propoſitionum locum dandum eſse rationibus, quibus auctores ad eas defendendas uſi ſunt. Nam neque rationes minuunt propoſitionum perverſitatem, neque dici poteſt propoſitiones, ſi rationes omittantur, diminute fuiſse deſcriptas. Itaque Concina cum in hac Vaſque-

queſii, tum in ceteris referendis (de iis loquor, quae ſunt in Catalogis) non inepte rationes omiſit: quem ſi propterea, *Impoſturae* accuſandum putas, eodem crimine condemnandi ſunt Romani Pontifices, qui multas Caſuiſtarum opiniones, rationibus omiſſis, diris devoverunt: quarum pleraeque, ſi rationes omiſsae non fuiſsent, hac ipſa Vaſqueſii tolerabiliores apparerent. Hoc ſatis eſset, ut tibi de hac querela reſponderem. Sed ſunt alia multa quibus poſsum uberius ſatisfacere.

XXIX. Itaque tantum abeſt, ut ob hanc omiſſam Vaſqueſii rationem dolere jure poſſis de Auctore *Chriſtianae Theologiae*, ut potius exiſtimare debeas, vel eum invidiae in Vaſqueſium minuendae cauſſa omiſiſſe; vel, ſi id non cogitavit, id tamen omittendo perfeciſſe, ut nonnihil invidia minueretur; propterea quod ejus ratio, ſi propoſita fuiſſet, magis ad eum accuſandum, quam excuſandum valuiſſet: quod tibi demonſtro. Edicito, quam Concina omiſit, Vaſqueſii rationem. „ Haec igi-
„ tur, *inquis*, eſt ratio ſtatim adjuncta,
„ & a Patre Concina reſecta: *quia furtum juſtitiae, illa autem peccata caſtitati opponuntur*. Haec autem ratio ma-
„ ni-

„ nifeſtat, ſententiam P. Vaſquez ex prin-
„ cipiis S. Thomae deductam eſse ; ut
„ reipſa illam deducit Vaſquez in illo
„ Articulo . „

XXX. At qui fieri poteſt, mi Noceti, ut S. Thomas, qui diſerte docet, fornicationem eſse furto graviorem, quidquam ſtatuat, ex quo recte concludatur: *peccata luxuriae, quae ſunt contra naturam*, quod placet Vaſqueſio, *furto eſse minora*? Si rem attente conſiderabis, nae tu intelliges, Vaſqueſium non ſequi, ut dicis, ſed potius convellere D. Thomae principia, atque doctrinam. Ecce tibi D. Thomas, qui 2.2. quaeſt. 154. art. 3: „ Secundum
„ ſe quidem, *inquit*, attenditur gravitas
„ peccati ex ratione ſuae ſpeciei, quae
„ conſideratur ſecundum bonum, cui
„ peccatum opponitur. Fornicatio autem
„ eſt contra bonum hominis naſcituri. Et
„ ideo eſt gravius peccatum ſecundum
„ ſpeciem ſuam peccatis, quae ſunt con-
„ tra bona exteriora, ſicut eſt furtum,
„ & alia hujuſmodi .

At Vaſquez ut ſuam confirmet opinionem, hoc principium D. Thomae convellere nititur, negatque loc. cit. *contra bonum hominis naſcituri*, atque adeo contra

tra juſtitiam pugnare fornicationem. Nam „ injuria, *inquit*, quae dicitur fieri proli, „ non eſt proprie injuria contra juſti- „ tiam, quare fornicatio ab hominibus „ dicitur peccatum contra caſtitatem, „ tantum, furtum autem contra juſti- „ tiam: cumque peccatum eo ſit gravius „ quo nobiliori virtuti opponitur, ideo „ furtum ex genere ſuo gravius pecca- „ tum erit.

Quo poſito ad id, de quo a nobis hoc loco diſputatur, concludendum deſcendit. „ Eadem ratione dicendum eſt pec- „ cata luxuriae contra naturam, etiamſi „ magis turpia appareant, & majori nota „ infamiae digna ſint, ex genere tamen „ ſuo minora eſſe, quam peccatum furti: „ *quia furtum juſtitiae, illa autem peccata* „ *caſtitati opponuntur*. „

Hic ſane non dices, Vaſqueſii ratiocinationem ex principiis D. Thomae eſſe concluſam: nam is ad illam opinionem deſcendere argumentando nequiviſſet, niſi prius, quod recte a D. Thoma de fornicatione fuerat conſtitutum, rejeciſſet. Atque ego Vaſqueſio ignoſcerem, ſi ulla ſin minus firma, at ſaltem probabili ratione inductus fuiſſet, ut a D. Thoma diſſi-

de-

deret: eo magis,quod veterem,& omnium conſenſu firmatam ſententiam relinqueret, & novam complecteretur. Sed quum valde ridicula ratione ad eam rem conficiendam utatur, ſane miror & eum, qui ingenio valebat, uſum fuiſse, & queri Te ob eam cauſſam, quod fuerit a Concina praetermiſſa.

Nam quare tandem fornicationem cum juſtitia pugnare negat? „ Hoc, *in-*
„ *quit*, difficile eſt; nam injuria,quae di-
„ citur fieri proli, non eſt proprie injuria
„ contra juſtitiam, quare fornicatio ab
„ hominibus dicitur peccatum contra
„ caſtitatem tantum, furtum autem con-
„ tra juſtitiam. „

Ego vero non video in hac ratione quidquam eſſe rationis. Nam duo cum afferat, & quod *injuria,quae dicitur fieri proli,non eſt proprie injuria contra juſtitiam*; & quod *fornicatio ab hominibus dicitur peccatum contra caſtitatem tantum*: alterum illud ipſum eſt,de quo diſputatur: alterum,etſi verum ſit, nullius eſt ponderis; imo indignum videtur Theologi gravitate,ob vulgi opinionem judicium relinquere Theologorum: proptereaque fornicationem cum juſtitia pugnare inficiari, quod eam ho-

homines vitium appellent contra caſtitatem. Theologorum enim, non vulgi eſt, quid cujuſque vitii ſit proprium judicare. Et vero D. Thomas, quin vulgi vereatur loquendi modum, cum citato, tum pluribus aliis locis, & praeſertim 2.2.quaeſt. CXXII. art. 1. in corp. de Praeceptis Decalogi agens, fornicationem cum juſtitia pugnare conſtanter affirmat:

„ Unde tria, *inquit*, prima praecepta ſunt
„ de actibus religionis, quae eſt potiſſi-
„ ma pars juſtitiae. Quartum autem prae-
„ ceptum eſt de actibus pietatis, quae eſt
„ pars juſtitiae ſecunda. Alia vero ſex
„ dantur de actibus juſtitiae communiter
„ dictae, quae inter aequales attenditur.

Quare cum in extremis ſex praeceptis illud *non Moechaberis* numeretur, fit ita, ut fornicatio, quae huic praecepto opponitur, cum juſtitia pugnet.

Eo autem deterior eſt ratio Vaſqueſii, quod eam in ſceleribus contra naturam perinde, atque in fornicatione valere exiſtimet. Sed etiamſi daremus, fornicationem non eſſe juſtitiae contrariam, non eſſet continuo concedendum, ne peccata quidem contra naturam cum eadem virtute pugnare. Quod ipſum, ne longum faciam,

ciam, D. Thomae verbis tibi demonſtrabo. Is enim 2.2. qu. CLIV. a.12. ubi vitium, quod eſt contra naturam, omnium, quae ad luxuriam pertinent, ſtatuit eſſe graviſſimum, quum ſibi primo loco obiecciſſet, haec ſcelera abſque ullius injuria perpetrari, non item adulterium, ſtuprum, & raptum, atque iccirco, haec illis eſſe graviora; ita reſpondet. „ Sicut ordo rationis rectae eſt ab homine, ita ordo naturae eſt ab ipſo Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipſe ordo naturae violatur, fit injuria ipſi Deo „ ordinatori nature „.

„ Nunc ſcire velim, an Vaſquefius etiamnum tibi ex principiis D. Thomae ratiocinari videatur, ſuamque ex iis elicere opinionem? Scilicet, inquies. Nam Vaſqueſii argumentum principiis conſtat a D. Thoma conſtitutis: nempe =

„ *Majori virtuti opponitur majus* „ *peccatum*. Haec propoſitio major traditur a Sancto Thoma citat. art. 4. in „ corpore, ubi ſic: *Dicendum, quod virtuti opponitur aliquod peccatum uno quidem modo principaliter, & directe, quod ſcilicet eſt circa idem objectum; nam contraria circa idem ſunt; & hoc modo*

oportet, quod majori virtuti opponatur majus peccatum „.

„ *Atqui juſtitia, cui opponitur furtum, eſt virtus major caſtitate, cui opponuntur illa peccata*. Haec minor traditur a Sancto Thoma 1. 2. quaeſt. 66. art. 4. ubi in corpore probat hoc ipſum, & poſt allatas rationes ſic concludit: „ *unde juſtitia eſt praeclariſſima virtutum ut dicitur in quinto ethicorum* „.

„ Ergo furtum eſt majus iis peccatis, ſive illa ſunt minora furto. Haec conſequentia legitime deſcendit „.

„ Videtis, opinor, lectores quantum noceat P. Vaſquez ſuppreſſam eſſe illam rationem, quam ipſe ſtatim adjunxit „.

De praetermiſsa Vaſqueſii ratione ſatis dixi. At de hac tua, & Vaſqueſii argumentatione unum dicendum ſupereſt. Te non aequum facere, quod eam inſtaures Vaſqueſii defendendi cauſsa. Nam qui de imminuta ab Concina Vaſqueſii fama ob ejus rationem praetermiſſam tantopere doles, debueras uno tempore ab injuria tibi temperare, quam facis Divo Thomae, cum eum vocas in ſubſidium hujuſce opinionis Vaſqueſii: idque diſſimulas, quo pa-

patefacto, Lectores intelligerent, Vaſqueſium non aliam ob cauſsam, niſi ob relictum Divum Thomam in eam incidiſſe. Num ita comparata res eſt, ut Vaſqueſio injuria fieri non poſſit; D. Thomae poſſit? Ego neutri cenſeo fieri oportere. Quumque oſtenderim nullam ab Concina factam eſſe Vaſqueſio; tuum eſt, ne abs te quidem factam eſſe D. Thomae, demonſtrare. Sed haerebis. Noſti enim, duo cum ſint Divi Thomae principia; unum, *eo vitium gravius eſſe, quo majori virtuti opponitur*: alterum, *fornicationem eſſe juſtitiae contrariam*: Vaſqueſium, uno retento, alterum rejeciſſe; atque ita ex eo, quod retinuit, illa concluſiſſe, quae cum rejecto aperte repugnant. Id ſi tu vocas ex principiis D. Thomae ratiocinari, ex iiſque ſententias deducere, ut Vaſqueſium excuſes, vide ne quiſquam eò argumentando te adigat, ut pari modo omnes Haereticos excuſes, quorum perverſas opiniones ex divina Scriptura conſtat iſto modo fuiſſe concluſas.

Itaque quod dicis, propoſitionem, quae media eſt, tradi a D. Th. 1. 2. quaeſt. 66. art. 4. omnino inficior. Docet enim hoc loco; juſtitiam ceteris virtutibus an-

tecellere : Sed fornicationem, & peccata quae ſunt contra naturam, ſolum cum caſtitate, non item cum juſtitia pugnare, non docet. Hoc tuum eſt, & Vaſqueſii; qui quidem non prius hoc argumentum inſtituit, niſi poſtquam probavit, aut probare ſibi viſus eſt, fornicationem nihil habere, quamobrem juſtitiae opponatur.

XXXI. Tandem ſexto loco placet alind accuſationis genus expendere, quo es uſus in Concinam. Ita enim fiet, ut pluribus, variiſque quaſi fontibus indicatis, quibus in errorem inductus es, omnes ntelligant, quo loco reliquae habendaei ſint.

Cap. CV., quod tuo in libello poſtremum eſt, ſic habes: *Vindicatur ab impoſtura Viva & La-Croix*. Tum Concinae locum T. 10. p. 383. ſic diſſerentis exſcribis.

„ P. Dominicus Viva de Sacram. Ma-
„ trim. quaeſt. 7. art. 3. num. 9. pag. mihi
„ 133: *Demum ſi alter habeat opinionem*
„ *probabilem de nullitate Matrimonii, &*
„ *ſimul habeat opinionem probabilem de*
„ *ejus valore, licite poteſt petere, & red-*
„ *dere, cum poſſit amplecti alterutram opi-*
„ *nionem probabilem, quam mavult,*
„ *etiam-*

„ *etiamſi una ſit probabilior, quam altera*.
„ Haec doctrina eſt contra ſacros Cano-
„ nes, contra SS. Doctores Eccleſiae, &,
„ niſi me omnia fallunt, evidenter con-
„ tenta in theſi I. damnata ab Innocen-
„ tio XI. nam hic agitur de valore Sacra-
„ menti Matrimonii.

Et paulo poſt, relata, *inquis*, non abſi-
mili doctrina P. La-Croix, haec ſubdit.
„ Haec curſim indicare libuit, ut intelli-
„ gant Lectores, damnatam probabiliſti-
„ cam theſim ab Innocentio XI. in con-
„ troverſiis, in quibus agitur de valore
„ Sacramentorum a non paucis Probabi-
„ liſtis promoveri, & propugnari, niſi
„ fallor ipſe. Sed Lectores ipſi ſint ju-
„ dices „.

His ex Concina deſcriptis, ita eum
evidentiſſimae impoſturae convinci ais:
„ Utrum doctrina Vivae, & La-Croix ſit
„ contra Sacros Canones, & contra SS.
„ Eccleſiae doctores viderint alii. Mani-
„ feſtiſſima certe impoſtura eſt, illam eſſe
„ evidenter contentam in Theſi I. damna-
„ ta ab Innocentio XI. & ab his Proba-
„ biliſtis promoveri, ac propugnari da-
„ mnatam probabiliſticam theſim. De quo
„ Lectores ſint judices, neque ad aliud

 „ tri-

„ tribunal ipſe etiam provoco „.

XXXII. Tum illud tibi demonſtrandum ſumis ſententiam Vivae,& La-Croixii damnata propoſitione non contineri. Sit ita.Ergo ne *manifeſtiſſima Impoſtura*? Dic, amabo te, quid impoſturae vocabulo intelligas. Arbitror reſponſurum, opinionem quampiam alicui attribuere, quam ille non propugnavit. Nihil enim eſſe, aliud poteſt. Quo poſito, animum adverte, Noceti. Concedis propoſitionem allatam, a Viva, & La-Croixio defendi. Das Concinam eorum placita integre deſcripſiſſe. Ergo, te ipſo teſte, nullus eſt *Impoſturae* locus.

Sed ais,ſententiam Vivae,& la-Croixii propoſitione damnata non contineri. Quid ſi conceſſero? Summum id erit conſequens, Concinae ineptam eſſe argumentationem; *eumque omnia fefelliſſe*; Impoſturae autem reum eſſe, non ſane erit conſequens. Homo enim cum ſis non Poeſis ſolum, ſed etiam Theologiae peritiſſimus, noſti profecto, Thomiſtas paſſim a Molinianis Calviniſmi, & Janſeniſmi inſimulari, propterea quod putent Moliniani, Thomiſtarum ſententiam decretis adverſus Calvinianos, & Janſenianos edi-

editis opponi: Contra Thomiſtae illud ſaepe Molinianis objecerunt, eos in erroribus Semipelagianorum verſari. Num utroſque *manifeſtiſſimae Impoſturae* arguendos putas? Non arbitror. Dices enim inepte eos quidem, atque imperite agere, quoniam quod conſequens ex decretis Eccleſiae non eſt, illud conſequens eſſe velint, quin tamen quidquam adverſariis adfingant, quod ii minime ſenſerint. Cur igitur Concinam *manifeſtiſſimae Impoſturae* damnandum exiſtimaſti ob eam cauſſam, quod illius tibi argumentatio ex propoſitione damnata adverſus Vivam concluſa inepta videretur? Nimium, mihi crede, hoc Impoſturae vocabulum, quod certe graviſſimum eſt, familiariter uſurpas. Huc accedit quod Concina cautior in ſcribendo eſſe non potuit. Quando enim ait, videri ſibi, hanc opinionem Vivae, & La-Croixii damnata propoſitione contineri; ſe tamen falli poſſe, idque lectoribus judicandum relinquere, nihil erat cauſſae, quamobrem abs te, ſi falſus eſſet, ullius *Impoſturae* accuſaretur.

Nolo id ego nunc agere, ut rite concluſam ab Concina argumentationem

fuiſſe evincam. Nam etſi facile poſſim, tamen hoc mihi propoſui, non ut placita Concinae tuerer, ſed ut eum abs Te immerito *malae fidei*, *& manifeſtiſſimae Impoſturae* accuſatum defenderem. Et quamvis, cum ſupra de Sancheſio ageretur, demonſtrare tibi non recuſavi, propoſitionem ejus ab Damnata mìnime differre, id tamen non eo feci, quod has tuas argumentationes ad rem, quam agis, pertinere, eaſque mihi non praetermittendas putarem; ſed eo, ut ne his quidem quidquam Te proficere, aut ullum nobis negotium faceſſere, intelligeres. Jtaque illud animadvertas velim, Te promiſſis non ſtetiſſe. Quamquam enim pag. 5. tuae Praefationis polliceris, te hinc inde Concinae, Tuorumque adductis teſtimoniis cum breviter, tum valide ea foede a Concina fuiſſe depravata demonſtraturum, contra ea praetermiſsurum, quae longa, & litigioſa diſputatione egerent; ſaepe tamen non longa modo,& litigioſa,ſed falſa etiam argumentatione, ac, bona tua venia, circuitione quadam verborum uteris, ut Concinam graviſſimi criminis condemnes: idque efficere te poſſe putes, indignum eſſe hominem, cui fides adhibeatur.

De-

Denique, ſi, quum Concina Vivae, & La-Croixii doctrinam ſacris Canonibus, Eccleſiaeque Doctoribus repugnare ſcripſiſſet, licuit tibi rem graviſſimam praetereundo reſpondere: „ Utrum do-„ ctrina Vivae, & La-Croixii ſit contra„ ſacros Canones, & contra SS. Ec-„ cleſiae Doctores viderint alii „: cur etiam mihi non liceat praeterire argumentationem tuam, lectoribuſque judicandum relinquere, an recte efficias, eandem doctrinam in damnata propoſitione non contineri? Praeſertim illa ratione, quam, ut veluti aculeum in animis hominum relinqueres, cudi magnis characteribus curaſti: „ PETERE, ET REDDERE „ DEBITUM non eſt CONFERRE, „ AUT SUSCIPERE ALIQUOD SA-„ CRAMENTUM „: quaſi vero Concinae in mentem venerit: *petere, & reddere debitum* eſſe in Sacramentis numerandum; aut iis, quae abs te praetermiſſa ſunt, quae ſane non erant praetermittenda, non ſatis explicarit ſententiam ſuam: „ Unum, „ *inquiens pag.* 385, poſſet reponi, nem-„ pe theſim proſcriptam intelligendam „ eſſe de materia, & forma, quae ſunt „ divini juris, non de impedimentis ju-

„ ris

„ ris Eccleſiaſtici. At P. La-Croix te-
„ ſtatur *omnes* improbare hanc opinio-
„ nem eludentem cenſuram proſcri-
„ ptae theſis. Ergo, teſte P. La-Cro-
„ ixio, juxta *omnes* damnata eſt opi-
„ nio P. Viva.

XXXIII. Habes, mi Noceti, haec pauca ex tot, tantiſque, in quae incidiſti, ſphalmata, quae mihi primo tuum libellum feſtinanter evolventi occurrerunt; quaeque ſatis viſa ſunt, ut de reliquis Impoſturis, quarum Concinam accuſas, facere conjecturam poſſint, qui uno libelli tui nomine audito, nulla autem re cognita, atque explorata, ſtatim aſſenſi tibi ſunt, Auctoremque *Chriſtianae Theologiae* calumniae, atque impoſturae temere condemnaverunt. Aliis ad te litteris omnia, quae Concinae opponis, eodem eſſe habenda loco plane ad veritatem demonſtrabo. Quae res ut ſumma integritate perficiatur, neque ullus tergiverſationis ſit locus, ſingulos Doctores ordine abs te propoſito arripiam, eorum expendam dogmata, oſtendamque quam breviſſime potero, negantine tibi, an Concinae adfirmanti fides adhibenda ſit. Quod ad nos attinet confido fore, ti-

bi

bi meum consilium probatum iri. Certe debet. Nam si licuit tibi Concinam graviſſimum, doctiſſimumque virum Chriſtianaeque Religionis ſtudioſiſſimum, eique imprimis utilem malae fidei condemnare, ut tuos Caſuiſtas tuerere; cur mihi hominem innoxium, atque innocentem, multiſque nominibus conjunctiſſimum, quique, ut dixi, egregiam Chriſtianae reipublicae navavit operam, a falſis criminationibus defendere non licebit? Sed cum ita eſse te inſtitutum videam, ut veritatem ames, & in ea vindicanda, operam libenter ponas, non eſt, cur valde timeam, ne tibi non probetur consilium meum, & nolis a me libellum tuum, ubi te erraſse cognovero, amice confutari. Decet enim eum, qui veritatem ex animo quaerit, utrum in Suis, vel in Extraneis reperiatur, utrum ab ſe, vel ab aliis proponatur, parvi referre. Atque, ego ſic tibi recipio, atque confirmo, me, cum Concinam erraſse, vereque abs te refelli perſpexero, neque praetereundo tecturum, neque cavillando defenſurum. Itaque ſi forte ſemel, & iterum, atque, etiam tertio, & quarto lapſus eſset (quod ſa-

ſane in Scriptore duodecim ſpiſſorum voluminum mirum non eſset, dum neque novum, neque inauditum eſt, errare aliquando Theologos, cum aliorum referunt, impugnantque errata: at errare eum, qui data opera libellum conficit, Sacratioribuſque Eccleſiae Viris proponit, ut fidem Doctoris cujuſquam labefactet, idque ſe non argumentatione, aut circuitione verborum, ſed facti evidentia demonſtraturum pollicetur: niſi diu ante Respublica Litteratorum vidiſset, vix fieri poſse putaret); ſi ſemel, inquam, & iterum lapſus eſset, ullamque propoſitionem aut male, diminuteque deſcripſiſſet, aut ei, qui revera non docuit, ſcribendi feſtinatione, aut oculorum hebetudine, nam calumniandi cauſsa nihil eum feciſse certo ſcio, attribuiſset: haberem quo fidem meam liberarem, factoque tibi oſtenderem nihil prorſus eſse, quod nos cavillando, vel errorem tegendo obtinenere velimus. Sed vereor ne non habeam. Tanta enim diligentia in omnibus Caſuiſtis evolvendis, & legendis, eorumque opinionibus deſcribendis, atque explicandis ex iis, quae hactenus cognovi, & a Vobis in li-

libello ſupplici objecta ſunt, uſum eſſe conjicio, quanta in aliis hujus generis Scriptoribus non facile reperitur. Credo hominem, qui multa legerat, neque probe noverat ſolum perpetuas Caſuiſtarum de ſuis obtruncatis, deformatiſque ſententiis querelas, ſed expertus etiam ipſe poſt editos multos a ſe libros fuerat; eo omnem cogitationem, diligentiam, & operam contuliſſe, ut quamlibet, ſi fieri poſſet, praecideret Caſuiſtis dolendi occaſionem, praeſtaretque hoc nomine ſua Chriſtiana Theologia, quod in ea ſumma fide, atque integritate Theologorum opiniones referri vel ipſi Caſuiſtae confiterentur. Quod ſi conſequi non potuit hac tanta diligentia ſcribendi, id ſane conſequutus eſt, ut facile ſe tueri poſſit, & oſtendere omni Litteratorum Reipublicae nihil ab ſe Caſuiſtis, quos oppugnat, falſo attributum fuiſſe. Quod quia non verbis, ſed re ipſa curandum eſt, finem ſcribendi facio, tibique confirmo, me, ut in hac epiſtola ſine ſalibus, atque injuriis, ſed graviter, ut puto, ſolideque tibi reſpondi, ita in ceteris, quas ad te ſcribam, reſponſurum, & Concinae fidem, ac diligen-

ligentiam in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis perſpicue demonſtraturum. Vale.

FINIS.

Pag. 32. lin. 4.

in hac venetis (*Corrige*) in his venetis

MAG 2002415